RVDOLPHI
THESAVR



fermo 10 1663 — 8bris h. 12 ... h. 11. ...
haurito h. 10. B. 30

3. E

C.



Table

1°) Glauber : Arca thesauris opulenta ... Amstelodami, 1660, 189 p + 149 p.

2°) Glauber - Vera ac perfecta descriptio qua ratione ex vini fecibus tartarum sit extrahendum. Amstelodami, 1655, 28 p.

3°) Glauber - Libellus dialogorum, sive colloquia hermeticae medicinae ... Amstelodami, 1663, 91

4°) Glauber - Apologia contra mendaces Christophori Farnneri - Amstelodami, 1655. 94 p.

5°) Glauber - Tractatus de natura salium. Amsterodami, 1659, 96 p.

6°) Glauber - Tractatus de signatura salium metallorum et planetarum. Amstelodami, 1659 44 p.

7°) Glauber - Explicatio verborum Salomonis ... herbis, verbis ... magna est virtus. Amsterdami, 1664, 88 p.

8°) Glauber - Consolatio Navigantium - Amstelodami 1657, 96 p.

Arca Thesauris Opulenta —
Sive Appendix Universalis
— 2ª part. continens
De vinis fecibus. & Tartaro.
Libellus Dialogorum
Apologia contra Farnerum
Nostrum Salium
Designatum Salium
Explicatio verborum Salomonis.
Consolatio navigantium

Johannis Rudolphi Glauberi

ARCA THESAURIS OPULENTA;

SIVE

APPENDIX GENERALIS

Omnium Librorum hactenus editorum,

Quæ non solùm cuncta tam in Philosophicis & Medicis, quàm Chymicis Scriptis loca obscura illustrat, & intellectu difficilia explicat, sed etiam quæ deficiunt, adeò abunde supplet, ut Docti & Indocti, Summi, & Imi, quin etiam vilissimi Opifices & Agricolæ satis superque queant comprehendere, in omnibus suis Scriptis Glauberum puram putam veritatem scripsisse, & hactenus tamdiu in tenebris jacentem Alchymiæ artem nobilissimam, iterum in lucem produxisse, & in commune Generis humani bonum detexisse.

In Æterni, Incomprehensibilis, Omnipotentis & Justi Dei, omnis boni Patris & Originis honorem, sacræ & oppressæ veritatis auxilium, ac defensionem, totiusque Generis Humani emolumentum, opus ab ipso Authore, Divino Auxilio, & non sine sudore, sumptu, & labore conscriptum, & in Decem Centurias distributum.

AMSTELÆDAMI,
Apud JOHANNEM JANSSONIUM. 1660.


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

PRÆFATIO.

Benevole Lector.

OMne promissum cadere in debitum, communi diverbio fertur, ac proinde promissis stare res est, quæ non minus Iunioribus quàm Senioribus magnum ornamentum conciliat. Cum igitur in scriptis meis, nonnullorum opusculorum pollicitatione, meam fidem obstrinxerim, ac eorundem editione, ob temporis penuriam, plurimorum expectationi & desiderio satisfacere tamen hactenus nequiverim, imò de die in diem majora incommoda, & impedimenta objecta me impediant, quo minus plura scribam, licet nihil magis in votis habeam, quàm ut promissis stando fidem meam exolvam, & dicta opuscula edam; nimirum, meum Opus Vegetabile, Opus Saturni, Colloquium Chymicum, Quartam Pharmacopœæ Spagyricæ partem, & admirandum de Concentratione Cœli & Terræ libellum, Tractatus profectò, excellentissima, & Humano Generi utilissima arcana continentes, ac dignissimos, quorum homines compotes fiant: Tempore tamen ad quem-

quemvis tractatum peculiariter conscribendum necessario destituor, eaque de causâ cogor viæ propinquiori insistere, & dictos tractatus, boni publici promovendi gratiâ, pauciore labore & molestiâ in publicum emittere. Præstat hoc præsens Tractatus, insignitus Titulo, Universalis Arcæ divitiis opulentæ, sive Appendicis Generalis, omnium meorum Scriptorum hactenus in lucem emissorum, quo cuncta in iis, aut brevius, & obscurius dicta, illustratione magis perspicuâ, explanantur, aut penitus omissa supplentur, atque operâ eadem promissi Tractatus adduntur, non tamen eo ordine, quo debebant aliàs conscribi, & qui hîc observandus plurimum exhiberet molestiæ; sed quo cuncta Secreta temporis progressu mihi innotuerunt, & in chartam conjecta sunt. Cuilibet autem integrum est, pro arbitrio suo, Medicæ Secreta Medicis, Mineralia Mineralibus, & Chymica Chimicis addere, si ipsi ita placuerit, & idem etiam permiserit tempus, quod mihi neutiquam permittit. Quisque his acquiescens, & contentus cogitet, si Cocus aliquis patinam optimis cibis repletam apponeret, tempore destitutus, que

quo ipsi non liceret separatim singulos singulis patinis imponere ; num ideò succensere ipsi jure posset, aut ogganniendo dicere auderet, quod Coci culinariæ rei minus periti incusanda esse imperitia, utpote tot delicatos & tantos cibos in unam patinam imperitè conjicientis, & apponere audentis? Non puto, jure aliquem de Coci alicujus facto ejusmodi conquestuium esse, aut conqueri posse. Cocus bene consultum cupiens, quales cibos habuit, tales apposuit; qui eos arripere recusat, suâ libertate utatur, & eos omittat, quos accipere non cogitur, sicuti & Cocus in iisdem suo arbitrio parandis à nemine cogi potest. Quicunque cibus unius palato non arridet, alterius tamen gulæ non erit fastidiosus, sed è contrario gratus, cum unus cibus huic, alter alteri sapere soleat, nec fastidio afficiatur inordinatè confusorum ciborum, qui sibi sapientes arripit, & reliquos pro reliquis relinquit.

Idem quisque hæc Scripta nanciscens faciat, non in malam partem rapiendo, sed humaniter, & benevolè excusando, quod ea

con-

concinniore ordine non emiserim. Similia sunt veræ & magnæ alicui capsæ, aut arcæ, quamplurimis excellentibus repletæ secretis, successivâ indagatione triginta annorum, in cognitionem meam redactis, & in unum cumulum ita congestis, ut aut pro meis conservarentur, aut aliquando publici juris fierent. Ex hac arcâ quisque ea arcana & secreta depromere poterit, quæ ipsi arriserint, aut usibus ejus inserviverint.

Quantum ad me attinet, quoniam quotidiè cerno, modò hunc, modò illum à morte abreptum efferri; & terræ mandari, facili negotio mecum rationes inire possum, & ad me brevi tempore illas vices perventuras esse; ægrè admodum committerem, ut tot sumptibus, laboribus & molestiis, tot ac tantorum arcanorum frustrà consumptis, ea mecum sub terram auferrem, ac in commune non conferrem. Fungar hic officio boni Patris familiâs, aut Oeconomi periti, qui postquam sibi, uxori, liberis & toti familiæ de vestitu hyberno abundè prospexit, si adhuc pannorum lineorum & laneorum copia ipsi superfit, eos non abjicit, sed potius in arcam conjicit tamdiu custodiendos, donec eos in proximi sui usum adhibendi occasionem

nactus

nactus fuerit. Sic ubi tempore hyberno imprudentes cicadas, quæ toto æſtivo tempore, ſedularum apum, & formicarum diligentiam non imitatæ, nobiliſſimum tempus, otiando, cantando, & ſaltando inutiliter tranſegerunt, nudo corpore, famelico ſtomacho, & ſitibundâ gulâ circumcurſare cernit, arcam ſuam promptuariam, quam neceſſitatibus illis replevit, aperiendo egenos abundantiæ, quæ ipſi ſuppetit, participes reddit, ut moleſtiſſimam hyemem vivendo ſuperare queant.

Quoniam autem, meâ opinione, hactenus per plures annos, ſerena & fertili æſtate, id eſt, tranquillâ pace & quiete fruimur, ac potiſſima hominum pars luxui, gulæ, ac commeſſationibus, compotationibuſque crebris ſtudet, parum ſolicita de futurâ hyeme, anguſtiiſque temporum imminentium, licet quatuor illis Partibus Proſperitatis Germaniæ in lucem miſſis, conſilia admodum ſalutaria, frumenti, vini, & aliarum rerum, quæ aliàs jacent, & ſitu corrumpuntur, colligendi, conſervandi, & concentrandi ſuggeſſerim, nihilominus à Farnerianis nebulonibus ſannis, & ſcommatibus excepta: profectò maximè verendum erit, ne admodum acris & frigida hyems, id eſt, tem-

pus peſte, igne, fame, nivis, & grandinis loco graſſans, & cuncta affligens, quod Divina manus clementer à nobis avertat, vix tamen ob peccata noſtra emanſurum, ſubito mortales ſecuros, & incautos oppreſſurum ſit. Ac quia tot annorum ſeries æſtivâ ſerenitate nos exhilaravit, nullâque hyberni temporis tempeſtate incommodâ afflixit, conjecturâ mea præſentire mihi videor, ſi ſemel temporis anguſtiæ, & afflictiones nos obruerint, eas longiorem moram trahendo non tam citò ceſſaturas eſſe. Eâ de cauſâ, ut egenis ſolatium, & auxilium afferrem, in animum induxi, ex meo promptuario aperto, plurimas excellentes, & utiles artes expromere, quò unuſquiſque, ſi modò velit, ſibi & ſuis abunde proſpicere, & hyberno tempore futuro multo commodius vitam degere queat, quàm avarus, beneficio ampliſſimarum ſuarum opum, quæ tamen ipſi, in talibus anguſtiis temporum verſanti, minimè auxiliari poſſunt, cum è contrario Ars omnibus temporibus, & omnibus in locis poſſeſſorem ſuum ex anguſtiis & difficultatibus ejuſmodi eripere ſoleat. Nulli uſui meliori ditiſſimum hunc Theſaurum, ſummis laboribus congregatum,

con-

conſervare potuiſſem, quàm ut honori Omnipotentis, & omnium bonorum datoris Dei, à quo ipſum accepi, atque egenorum ſolatio, auxilio & ſaluti eundem conſecrarem. Quicquid enim boni, in hujus vitæ contubernio, egeſtate laborantibus hominibus confertur, ſi vel minimus etiam aquæ Hauſtus fuerit, in altero Mundo Deus millecuplâ mercede compenſabit, ut ex 25. Cap. Matth. patet. Cui ergò uſui meliori, quàm huic, theſauros meos collectos impendere poſſem? Cum hæc ſit nullius comparationis permutatio, ſi temporalium cum æternis permutatio fiat, quandoquidem illa caduca, momento pereunt, hæc perpetua, nunquam intereunt. Num illos theſauros, avarorum more, pro liberis meis ſolis cuſtodirem? qui neutiquam certus ſum., an tamdiu victuri ſint, donec ipſos in uſum adhibere queant. De furibus, igne, & aquâ nihil dico, quibus auferri, aut corrumpi poſſunt. Hoc autem modo, nimirum in commune Humani Generis bonum & emolumentum ſcripta mea edendo, non ſolum Divina miracula, & ipſius Dei honorem manifeſto, & amplifico, ſed etiam opere hoc miſeri-

cordiæ infinitis hominibus benefacio. Si igitur Deus verus eſt omnis boni compenſator, (quâ de re nullum mihi eſt dubium) certus etiam ſum, quod meorum beneficiorum, in egenos collatorum, fructus, poſt obitum meum, meis redditurus ſit : Sic enim Exodi 20. *Cap. Ego, inquit, ſum Dominus Deus tuus, Deus Zelotes, vindicans peccata Patrum in Filiis, idque in tertiâ & quartâ progenie eorum, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in milleſimam eorum, qui diligunt me, & obſervant præcepta mea. In nomine igitur Domini Arcâ meâ Theſaurariâ aperiendâ initium faciendo, ſenſim ac pedetentim eam evacuabo, & uſui communi offeram, ut ex tot theſauris, quiſq; in uſum ſuum convertat, quæ ſibi utilia judicabit ; Medicus videlicet medica, Chyrurgus chyrurgica, & Chymicus chymica, prout quiſque quævis ad ſuum uſum idonea deprehenderit. Ea, quibus contentus eſſe poterit, cujuscunque ordinis quiſque inveniet, adeo quidem, ut, quicquid in Prima, Secunda, aut Tertia Centuria non occurret, in reliquis offendatur, cujus rei gratia, ſi decem Centuriæ non ſuffecerint, alias decem aut plures adjungam, ut ita à me amoliar curas illas omnes, ac ſolicitudines,*

nes, quibus tot annis, tantorum thesaurorum custodia, me solicitavit & affecit. Instar parturientis fœminæ partus horam summo desiderio expectantis, & sui fructus intuitum desiderantis, illud desidero tempus, quo omnia typis excusa erunt. Omnipotens Deus tantum ingenii, valetudinis, & virium mihi largiatur, ac eò usque vitam proroget, ut in ipsius honorem, & totius Humani Generis auxilium, solatium, & emolumentum absolvere possim. Amen.

IN

IN NOMINE SANCTISSIMÆ Trinitatis incipio ſcribere Primam Centuriam meæ Appendicis Generalis, ſive Expoſitionis omnium meorum Scriptorum hactenus editorum.

I. *De Igne, & Sale, & quid ſit Alchymia.*

ALCHYMIA eſt ſcientia, & ars immatura, & impura Metalla, per Ignem & Salem deſtruendi, purgandi, & ſingulari artificio puriorem partem in meliorem formam, ac ſpeciem convertendi, ſecundum verba Paracelſi dicentis; Omne aliquid in nihilum, & omne nihilum in aliquid convertendum eſt. Item: Corruptio bonum perfectum reddit: quod æquè de Particularibus, atque Univerſalibus Operationibus intelligendum eſt.

De Particulari tamen Metallorùm per Ignem & Salem transmutatione non neceſſe eſt, ut hîc prolixè agam, quia illud in Secundâ Parte Miraculi Mundi, & etiam in Quintâ Parte Proſperitatis Germaniæ jam pridem factum eſt.



II. Demonstratio, quâ, Ignem & Salem, nobilissimas Dei Creaturas, atque in Igne purissimum Salem, & in Sale efficacissimum Ignem, absconditum esse, probatur.

IGnem & Salem, nobilissimas Dei Creaturas esse, in meo de Naturâ Salium Opusculo, satis evidenter demonstravi. Quod autem cuivis igni subtilis Spiritus Salinus insit, atque inter Solis, & nostri ignis culinarii calorem, quoad Spiritus ipsorum Salinos, magna intercedat differentia, satis superque notum est. Sed ejusmodi purum Spiritum Salinum Solis capere, concentrare, corporalem, palpabilem, & visibilem reddere, nobis propter peccata nostra incognitum, & ignotum manet; quia Deus tanta mysteria reservat suis solis, à quibus honoratur, & time-

& timetur. Nam Deus ipſe nulla meliore ſimilitudine utitur, quàm Igne, cui Veteres divinum Honorem exhibuerunt, ejusdemque adminiculo cuncta ſua ſacrificia perfecerunt: Sic apud Chaldæos Ignis, & Deus uno eodemque nomine Eſch appellantur, & inter Ethnicos præcipui Philoſophi, imò ipſe Hermes, Solem eſſe Deum, arbitrati ſunt, & pro Deo coluerunt. Hæc apud Mutium de Naturâ Deorum expreſſa inveniuntur, ac proinde non neceſſaria ſunt, quæ hîc repetantur. Illud tamen probè notandum, Sanctis Deum ſemper ſub ſpecie Ignis apparuiſſe, & ex eo cum ipſis loquutum fuiſſe, id quod maximis myſteriis plenum, à paucis tamē obſervatum, in peculiari opuſculo de Concentratione Cœli & Terræ, planius & plenius declarabo.

Aſſero itaque, vix fieri poſſe, ut admirabilis, imò incredibilis Natura Ignis, ſine ſummorum Dei Myſteriorum revelatione deſcribatur. Ideò ſatius eſt, ut tanta Secreta ſilentio prætereantur, quàm, tanquam precioſæ margaritæ, porcis objiciantur, qui ea riſu excipere ſolent & nihil niſi mera nugatorum ſophiſmata eſſe proclamant, ſicuti evidenter patet ex I. H. S. deſcriptione Lapidis Philoſophici, in quâ; Natura, inquit, in Terræ viſceribus non utitur vitris, vaſis, igne, ſale, urinâ, & ſimilibus, ipſumque Univerſale admodum commodè parari poteſt ab eo, qui etiam nullos labores Chymicos tractavit, aut nunquam Igne aut Sale occupatus fuit. Pudeat homi-

hominem tam putidorum mendaciorum, quibus ſuam ignorantiam tegere conatur. Ego contra affirmo, omnes eos, qui Ignem & Salem tractare ignorant, nihil revera ſcire, ſed iis tantum fidem adhibere, quæ audiunt, aut in aliis Scriptis legunt, eam etiam ob cauſam verorum Philoſophorum nomine & titulo indigni; Etenim vera Philoſophia, ſolius Ignis & Salis ope addiſcenda eſt, quod, Deo volente evidentius demonſtrabitur.

III. Porrò demonſtratur, in omnibus Salibus admirabilem ignem reconditum latere, cujus opera quam plurimæ res admirabiles tam in Medicina, quam Alchymiâ perficiantur: Atque etiam omninò fieri poſſe, ut ex Vitriolo Lapis Veterum Sapientum, ex Sale Petræ ſpirituale Aurum, & excellens flava Tinctura, & ex communi Sale Marino vera Margarita Philoſophorum paretur.

IN omnibus Salibus potentiſſimum Ignem reconditum latere, ii optimè norunt, qui Ignis labores perſpectos, atque cognitos habent. Hujus enim efficaciâ, & operatione, Sales ad vim igneam, ſive humidum ignem, ex quo antea orti ſunt, poſt terreſtreitatis ſuæ depoſitionem reducuntur. Unus tamen Sal alium expromi ignem, alterius igni longè diſſimilem, adeò ut hic ſit fugax, ille fixus, & in igne conſtans.

alius

alius partim volatilis, partim fixus, prout operatio ipsis hanc vel illam proprietatem conciliaverit. Omnes tamen tales Sales ignei, artis beneficio concentrari, & efficaciores reddi possunt, quàm unâ aliquâ distillatione effecti sunt. Exempli gratia; Si quis Vitriolum adspiciat, & naturam ipsius consideret, re ipsâ comperiet, quod ignis fortis adjumento, ex ipso illud elici possit, quod in principio fuit, nempe igneus Spiritus, qui Ignis externi auxilio, in angustam concentrationem redactus, expromit ignem illum internum, tantas vires exerentem, ut omnia, quæ madefacit, aut cingit, in carbonem redigat, haud aliter, ac si communi igne culinario, aut speculo, Solis radios excipiente, & cuncta obversa comburente, exusta fuissent. De his Salibus igneis, eorumque præparatione, ac usu, pauca hic traditurus, exordium capiam ab Igne Vitrioli, ejusdemque præparatione, cujus usus varius ac multiplex postea suis in locis explanabitur.

IV. De Præparatione Ignis Vitrioli.

Retortæ ex optimâ Terrâ factæ, Ignem Vitrioli per distillationem sequenti modo expromunt. Vitriolum commune in ollis terreis ad ruborem calcinatur, calcinatum in pulverem redigitur, retortæ terreæ imponitur, & in fornace collocatur, adjuncto ingenti vase collo retortæ,

tortæ, quod ſpiritus exeuntes recipit. Ignis ſenſim accenditur, atque ita pedetentim augetur, ut tandem tota retorta candeat, quo gradu ignis tamdiu urgenda, donec nullæ albæ nebulæ amplius appareant. Hæc operatio 24. horarum ſpacio ut plurimum perficitur: Sin verò retorta major fuerit, omne oleum 24. horarum ſpacio elici nequit, ſed longiùs ad hanc operationem tempus requiritur, quod experientia ipſa definiet. Poſtquam omnes Spiritus exiverunt, & in vaſis fundo conſederunt, lutum, quo conjunctio retortæ & vaſis recipientis munitum eſt, humido linteo circumpoſito mollitur, vas recipiens removetur, & Spiritùs ex eo effunduntur in vitream cucurbitam, luto probè munitam, quæ cum alembico impoſito in arena collocatur, ut Spiritus volatilis lentè admodum eliciatur, & vitris, ad uſum poſtea docendum, cuſtodiatur. Poſtea quoque Phlegma abſtrahitur, ad ſuos itidem uſus reſervandum, quia peculiares ſuas vires habet. Tandem Spiritus ultimus etiam peculiari vaſe excipiendus, quem poſtquam ceſſantem igneæ guttæ conſequuntur, ignis ſenſim removendus, & ex refrigeratâ arenâ cucurbita eximenda eſt, in quâ, alembico dempto, invenies oleum igneum, coloris nigri, aut ſubrubri, quod iterum in cucurbitâ per arenam, aut in retortâ luto probè munitâ, per apertum ignem rectificandum eſt, ut magis igneum, & clarum reddatur. Hoc oleo admiranda, & non ſolum

B Me-

Medicis, sed etiam Chymicis, atque aliis Artificibus utilissima perficiuntur, ut mox videbimus.

Sunt verò etiam alii modi, quorum ope hoc Oleum acquiritur: sed hic quem documus, omnium facillimus est, licet plus temporis postulet. Si quis autem copiâ ejusdem majore indigeat, is adhibere posset grandiores illos ex terrâ optimâ paratos cantharos, ita invicem junctos, ut supremus igni impositus, cæteri extra ignem constituti essent, atque ita infimus oleum, per descensum exiens, reciperet.

V. Proba, an Oleum hoc Vitrioli probè paratum, ac satis forte, & idoneum sit, ad operationem illam, de qua hîc agitur.

IMmitte in Oleum pennam, aut ligneolum aliquod, quod ubi aliquandiu in eo reliqueris, extrahe: si in carbonem combustum fuerit, Oleum probè paratum est; sin minus, signum est, aliquid humiditatis ipsi adhuc inesse, quæ rursus igne expellenda est.

VI. Aliud experimentum.

INsere Oleo laneum, lineum, aut, quod melius est, gossipinum pannum digiti latitudine extensum, & aliquot Spiritus sive Olei Therebinthinæ guttas eidem exempto, & alicubi reposito

posito affunde, quæ si accensæ conflagraverint, indicio sunt, quod Oleum debitâ operatione confectum sit.

VII. Alia adhuc Proba.

INfunde in parvum aliquod vitrum Spiritus vini omni phlegmate carentis aliquantulum, eidemque aliquot hujus Olei guttulas sensim affunde: si Spiritus vini flammâ conceptâ in fumum abit, Oleum debito modo paratum est.

NB. Hanc operationem, ut quis cautè tractet, moneo. Nam in his duobus Ignibus, Salinis puta, & Sulphureis, magna vis est occulta, quæ paucis fit verisimilis, si ipsis aperiretur, nec tamen etiam consultum est, ut plurimis innotescat. Hæc pauca satis superque docent, quo pacto tales Ignes in Medicinâ, Alchymiâ, & cæteris artibus usurpanda sint.

Sed hæc Experimenta sufficiunt.

VIII. De hujus Ignis Vitrioli usu in Medicinâ.

HUjus Ignis, ut & ejusdem Spiritus volatilis, atque phlegmatis usum in internâ Medicinâ descriptum invenies in Secunda Parte Fornacum mearum, & apud alios Authores, unde ipsius repetitio, superflua hîc, non est necessaria. Hoc solummodò sciendum, quod hic

ignis omnibus incurabilibus, & cancrosis ulceribus, pennâ saltem illitus, venenum illorum occidat, & efficiat, ut talia ulcera facilè admodum curationem admittant, si modò Eschara alicujus unguenti, aut emplastri ustionem curantis impositione, prius removeatur. Hoc enim oleum omnem feram, & luxuriante veneno se attollentem carnem comburit, instar ferri alicujus candentis, & omnem malam, atque noxiam carnem à bonâ & sanâ carne separat.

IX. De generali Usu hujus Olei in Alchymiâ.

HOc Igne Minerali omnis generis Transmutationes rerum perficiuntur. Particulariter enim nonnulla viliora metalla in gradum altiorem exaltat, & constantiora reddit, de quo in sequentibus plura occurrent.

Universaliter nonnulla Vegetabilia, Animalia, & Mineralia subjecta in fixa Medicamenta, hujus Olei operatione, redigi possunt, & quidem longè commodius, quam vulgari lignorum, aut carbonum igne. Quin in hoc ipso Oleo, quod longè majus est, ignea Tinctura occulitur, & artis beneficio manifestatur, ut Frater Basilius, aliique Philosophi asserunt.

X. *De hujus Ignis in aliis Artibus Usu.*

HUjus invisibilis, & tamen essentialis Ignis viribus, omnis generis res utilissimæ effectui dantur, quas tamen hic describere mihi jam non est integrum, sed in aliud tempus rejicere cogor. Breviter duntaxat hoc in loco indicare operæ pretium videtur, quod hic Ignis omnia ea præstet, quæ aliàs carbonum ignis efficere solet. Ignis profectò est, sed instar Ignis lignorum aut carbonum non lucet: Qui verò vult, ut luceat, subtile sulphur ipsi addat oportet, ut visibilem Ignem ex eo eliciat. Contra aëris ingressum defensus hic Ignis, per multa annorum millia, occultus manet, & se ipsum non manifestat, nisi quis ipsum palam faciat. Admirabilis profectò est Ignis, & ad multas res incredibiles efficiendas aptissimus, de quo hac vice sat multa diximus.

X I. *Evidens Demonstratio talis Ignis, etiam in Culinario, & unicuique noto Sale latentis.*

POsteaquam Plato, & alii Philosophi complures animadverterunt, nihil vitâ præditum sine Sale consistere, ac ipsa cadavera per longum tempus à putrefactione, ipsius viribus, conservari, in eo Divinum quid occultari putarunt,

& ſcripſerunt. Quo pacto autem hoc Divinum & Occultum viſibile reddendum ſit, non docuerunt. Procul dubio autem ſapientiſſimi illi Philoſophi hoc verbo aliquid ſingularis excellentiæ indicare & denotare voluerunt.

Quia igitur Deus ipſe ignis eſt, & nunquam Sanctis aliâ, niſi ignis ſpecie apparuit, ac præterea etiam omnes Sales, in Terræ viſceribus humidis, ab Aſtrali igne generantur, & è contrario ex omnibus ſalibus, Ignis verus, artis operatione, extrahi, & palpabilis, ac viſibilis reddi poteſt, id quod ipſos procul dubio non latuit, veriſimile idcirco quoque eſt, non ſine magni momenti cauſa ipſos ſcripſiſſe, aliquid Divini, aut Ignei in Sale occultum latere.

Quod autem non aliquid melius, aut nobilius innuerint, quàm Igneum illum, & Salinum Spiritum, facili conjecturâ provideri poteſt. Si enim quid Divini in Sale lateret, ut ſcribunt, neceſſariò ſequeretur, illam divinam ſcintillam, omnibus ſuis terreſtribus vinculis liberatam, pulchritudine, virtutibus, efficaciâ, & potentiâ, omnibus terreſtribus rebus longè ſuperiorem fore, & poſt Deum ipſum Æternum, ſummam & precioſiſſimam margaritam in Mundo exſtituram eſſe.

Sed quis nos tam precioſam margaritam ex vulgari, & culinario Sale ſeparandi modum docebit? Nemo niſi ſolus Deus, aut bonus aliquis amicus, qui à Deo acceptæ

cogni-

cognitionis bonum amicum participem reddere possit.

Siquidem verò pauci admodum Mortales Deum sincero corde quærunt, amant, timent, & honorant, sed multò potius caduco & injusto Mammoni adhærent, eidemque Divinos honores exhibent, haud mirum est, quod Deus sibi reservet, aut ad minimum parcè nobis largiatur ea, queę Veteribus largâ suâ manu cumulatim suppeditavit. Quin etiam idem Omnipotens Creator, aliquod aptum subjectum, aliquâ Naturæ scintillâ illuminans, tantum simul ingenii concedit ipsi, ut taciturnitate debitâ sibi, ab hac impiâ Mundi fæce, cavere sciat. Unde haud mirum est, quod Naturæ lumen tam paucis Mortalibus hodierno tempore innotescat.

Antequam autem de preciosa illa Salis margarita pluribus agam, necessarium omninò mihi videtur, prius indicare modum & rationem, eliciendi Ignem illum ex culinario Sale, cujus separatio nullâ aliâ ratione perfici potest, nisi Ignis vulgaris violentiâ, quando nimirum Sal, terrestri aliquâ materiâ mixtus, ut fluere nequeat, in retortâ aliquâ fortissimo igne urgetur, ut purior Salis pars, quæ nihil aliud est, nisi acris Spiritus, in appositum vas recipiens exeat, in quo acido, & suavi Spiritu, efficacissimus Ignis delitescit, sequenti ratione extrahendus & concentrandus.

XII. De Præparatione Ignis Salis.

℞. Acidum hunc Salis Spiritum, eumque per arenam, ex vitreâ cucurbitâ, aut etiam Retorta diſtillando rectifica. Phlegma præcedit, quod in prima diſtillatione recipienti vaſi infuſum eſt, ut Spiritus eò commodius colligeretur. Poſtquam omne phlegma elicitum eſt, ac guttæ acidæ ſubſequuntur, illud remove, alioque vaſe Spiritum excipe, & diſtillationem tuam tam diu continua, donec omnis exiverit, Acidâ ſuavitate præditus, effector eſt plurimarum operationum, quæ in Medicinâ, & Alchymiâ multum utilitatis conferunt, ut ex diverſis meis Scriptis, ac potiſſimum ex Secundâ Furnorum Parte, ac Hominum mare frequentantium Conſolatione liquet. In hoc ſuavi, & inſtar Vini acido Spiritu, occultus eſt infernalis Ignis, qui æquè ac lignorum, aut carbonum Ignis, omnia ſibi immiſſa, ut Vegetabilia, & Animalia, in carbones comburit, & cuncta, quæ Ignis vulgaris calcinando in cineres redigit, ut ſunt immatura Metalla, Stannum, Plumbum & ſimilia, quando ipſi imponuntur, in albos cineres calcinando comburit.

XIII. Recti-

XIII. *Rectificati Spiritus Salis, in humidum & frigidum Ignem Concentratio.*

UNusquisque Spiritus Salis ex duabus rebus consistit, Igne nimirum, & Aquâ, quam aquam Ignis adeò arctè sibi connectit, ut nullâ distillatione, aut rectificatione penitus separari queat, sed semper Igni adhæreat, quotiescunque etiam distillando rectificetur. Si quis ergo cupit utrumque rectificando separare, Spiritui Salis imponat oportet Metallica subjecta immatura, quæ quo immaturiora sunt, eò puriorem Spiritum Salis reddunt. Talia sunt Lapis Calaminaris, Zincum, & Ferrum, quæ ob naturam suam humidam & attrahentem ex Salis Spiritu attrahunt invisibilem illum Ignem, tanquam Agens illud, quo ad maturationem necessariò destituuntur, & sine quo Agente igneo, genus Metallicum, ad nullam perfectionem, in Terrâ pervenire potest. Talia igitur subjecta Metallica, sibi imposita, Spiritus Salis aggreditur, ac quantum in se est, dissolvit. Hæc solutio ex vitreâ retortâ per arenam mitiore igne distillata, nil nisi merum & insipidum phlegma emittit, ipsâ essentiâ igneâ, apud minerale illud, in retortâ manente, quæ si magis ac magis igne auctiore urgeatur, ut planè incandescat, tunc minerale illud Ignem Salis diutius retinere non

valet, ſed eum dimittit, qui in vas recipiens deſcendendo, in craſſum & igneum Oleum ſe condenſat, in fortibus probéque obturatis vitris poſteà cuſtodiendum, quia ſine intermiſſione fumat, & in aërem tanquam Chaos ſuum, unde exivit, redire deſiderat. Hic Ignis in Alchymiâ & Medicinâ operator eſt magnorum effectorum, de quibus pauci admodum diſſerere norunt. Habet autem longè alias proprietates & qualitates, quàm ille, qui ex Vitriolo extractus eſt, de quibus poſteà dicetur.

Ac quamvis hujus Ignis adjumento incredibilia tam à Chymicis, quàm Medicis, aliiſque Artificibus præſtari queant, Ignis tamen eſt conſumens, deſtruens, & etiam maturans, nec minimum apud ſe habet iſtius nobiliſſimi Unionis, cujus ſuperius mentionem fecimus, & qui in hac præparatione in talem Ignem converſus eſt. Is ſi ex Sale eliciendus foret, mea ſimplici opinione, non Ignis beneficio, ſed Subjectorum Metallicorum & attrahentium opera extrahendus eſſet.

Quanquam verò tam peritum Magiſtrum non profiteor, & mihi cognitionem, tam precioſum unionem extrahendi, non arrogo, non poſſum tamen, quin prodam parvam illam Naturæ ſcintillulam, quam Deus mihi conceſſit, ut ita unuſquiſque cognitum & perſpectum habeat, quam admiranda Myſteria Sal corpore ſuo vili occultet.

XIV. Mo-

XIV. Modus, quo preciosissimus ille Salis Unio, aliquâ saltem ratione, conspicuus reddi queat.

QUemadmodum in meis præcedentibus scriptis monui, quod in Igne & Sale omnium Vegetabilium, Animalium, & Mineralium vires, colores, & Virtutes concentratæ reperiantur; Ita etiam idem jam affirmo, & assero, quod ex Sale, Ignis beneficio, omnia Vegetabilia, Animalia, & Metalla in suâ specie, naturâ, & proprietatibus, in infinitum augeri, & propagari possint, modò ipsorum semina habeamus. Exempli gratia: Salem culinarium per ignem ita paro, ut acrimoniâ suâ amissâ, Salis Alcali naturam induat. Ejus partem aliquam sterili terræ misceo, aut etiam arenæ nudæ, quam aquâ humecto: his insero Vegetabilium semina, ut sale illo alantur, & crescant, quæ ita crescendo suas proprias figuras, vires, & colores nanciscuntur, viridia, flava, rubra, cœrulea, purpurea, & alba, &c. apparent, atque dulcem, acidum, acrem, amarum, &c, saporem habent, prout cuivis speciei propriam suam naturam Deus largitus est; quæ operatio ab unico hoc Sale, & igneis radiis Solaribus, aëre temperatis, proficiscitur.

Quando igitur his herbis, ex hoc Sale crescentibus, & nutrimentum sumentibus, bestiæ vescuntur, iisdem etiam necessariò aluntur & augentur,

gentur, ſicuti & ipſis hominibus eædem herbæ, ex dicto Sale creſcentes, nutrimentum, & augmentum ſuppeditant. Si quis autem verum Auri ſemen nanciſci, & id Salis atque Ignis adjumento augere poſſet, procul dubio magnam Auri copiam conſequeretur. Sed non vult Deus, ut quantâ vaccæ, tantâ longitudine etiam capræ cauda extendatur, quæ faſtu nimio elata, ſibi ipſi oculos, nimis longâ caudâ, excuteret. Si igitur omnes res, atque Aurum ipſum, ut & Argentum, Uniones, ac lapides pretioſi, inviſibili, & occulto modo in Sale occultæ ſunt, atque Artis & Naturæ adjumento palpabiles, & viſibiles reddi poſſunt; Cur etiam fieri non poſſet, ut ex eodem Sale excellentiſſima Medicina, & pretioſiſſimus Unio Sapientum eliciatur? Vulgares profectò margaritæ ex aquis ſalſis naſcuntur, in quibus ſi Materia Prima margaritarum non eſſet, quo pacto ex iiſdem margaritæ prodirent? Ut igitur evidenter pateat, quod etiam artis operatione ex Sale elici poſſint margaritæ, quæ pulchritudine, virtute, efficaciâ, & excellentiâ illis margaritis, quæ ex profundo Mari piſcando extrahuntur, longè antecellunt, præſcribam hîc, quantum quidem mihi ad rei poſſibilitatem demonſtrandam conceſſum eſt, modum aliquem, ex quo quiſque, rem accuratius expendendi, fundamentum firmum, & certum ſumere poterit.

XV. Phi-

XV. *Philosophicum Unionem ex Sale eliciendi Operatio.*

IN Aquâ vulgari ſolve Salis vulgaris quantum vis; quanto majorem copiam ſumpſeris, tantò plus nanciſceris. In Aquâ forti itidem ſolve 1. aut 2. lotones Argenti; hanc ſolutionem Lunæ, Sali in aquâ ſoluto affunde, ac utramque ſolutionem aliquoties move, ut alba, & lacti ſimilis evadat. Argentum enim Salem perferre nequit, ſed ab eo ſecedens fundum petit, & in formâ nivei pulveris reſidet, qui effuſione aquæ ſegregandus, & exſiccandus eſt. Hic pulvis Argenteus ſpirituale, & Philoſophicum Aurum, ſive dictam Margaritam pretioſam, ex aquâ ſalſâ extraxit. Quippe Diana non minus in mari ſalſo margaritas piſcari, quàm in viridibus ſilvis feras venari novit. Unio autem ille modo ſequenti corporalis & viſibilis redditur.

XVI. *Quomodo acquiſitus Unio viſibilis reddatur.*

NOtandum eſt, pulverem illum Argenteum ita per ſe, & ſine aliorum Salium fixorum admixtione, admodum ægrè per fuſionem, in priſtinam ſuam formam Argenteam redire, ſed inſtar Salis fluere, & quæcunque vaſa penetrare, imò etiam in fumum abire. Salis enim ſpiritus

ſpiritus Argentum adeò fluidum, & fugax reddunt, ut penitus Mercuriale fiat, ac proinde admodum facilè ejus tenerior, & nobilior pars, per Diſtillationem, à craſſiore parte ſegregari queat, ſi hoc per vitra, aut vaſa terrea vel Metallica fieri poſſet.

Quando hic Mercurius Lunæ in aperto crucibulo liquatur, in fumum evaneſcit. Retortæ vitreæ impoſitus igni cedere recuſat, qui nimium auctus vitrum liquefacit, ac vitrum cum Argento peſſundat.

Si terrea vaſa adhibeantur, eadem, inſtar olei corium, idem Mercurius illæſa penetrat. Quando abiit, etiam Salia in fumum abeunt, ac argenti granula vaſi adhærentia relinquunt, cujus hac ratione fit jactura, quæ Sublimationem irritam reddit.

Vaſorum ferreorum quoque uſus hîc eſt nullus, quia Sales Argento admixti ferrum adoriuntur, Argentum corpori priſtino redditum dimittunt, ac præter parum Spiritus Salis, nihil emittunt, ut ita ſeparatio nulla fiat, ſed purum & impurum commixta maneant.

Has incommoditates declinandi cauſa plures modos fruſtra tentavi, ac tandem animadverti; ſi huic penetrantiſſimo Lunæ Mercurio ejuſmodi addatur materia, quæ ipſius ſolvendi efficaciam, & colliquationem ita impediat, ut in poroſam maſſam mutetur, tunc ignis beneficio facilem ipſius ſeparationem fore, quæ

quæ ſine hoc adjumento difficillima exiſtit.

In Nomine Domini igitur tuo reti piſcario, id eſt, Mercurio Lunæ talem Materiam debito pondere, & menſurâ adjunge, quæ nullam liquationem admittit, & Mercurium Lunæ non ſinit confluere. Tales ſunt carbones lignei in tenuem pulverem redacti, quibus Mercurio Lunæ mixtis, vas tuum diſtillatorium, ſive terreum, ſive ferreum, ſive vitreum, quod omnium eſt optimum, uſque ad mediam partem replebis, atque in ignem immittes, aucto pedetentim per gradus igne, donec vitrum incandeſcat. In hoc candore tamdiu retine vas, uſque dum omnes ſpiritus exiverint, quibus ceſſantibus, vas frigefactum eximes, & in eo invenies Mercurii reliquias, quæ non aſcenderunt, in corporale Argentum reductas, aut ſaltem tales, quæ addito Borace, in crucibulo, facilè in Argentum reducuntur, & aliquantum Auri continent. Subtilem autem illam & puram materiam, quæ in diſtillatione aſcendit, ut pretioſum theſaurum cuſtodi, atque meditare, quo pacto hunc pretioſum Unionem ſecundum Artem figere, & in fuſilem, atque penetrantem lapidem convertere poſſis.

Quâ verò ratione hoc effectui dandum ſit, revera dicere nequeo, utpote qui illud perficiendi hactenus nec otium, nec tempus habui, ac proinde illa tantum hîc indicare volui, quæ oculis meis vidi & manibus palpavi. Alius arbitrio ſuo periculum facere, & videre poterit, quid

Deus

Deus ipſi largiturus ſit. Vice Mercurialis ſtatuæ viam monſtravi, quod in præſentiâ ſufficiet.

XVII. Facilior Unionem Philoſophicum conſequendi modus.

SI faciliore modo Unionem Philoſophicum acquirendi cupidus fueris, ita opereris oportet.

Quintæ, aut dimidio lotoni Mercurii Lunæ adde parum pulveris carbonum, conjunctaſque materias immitte in parvum vitrum imponendum crucibulo, & circundandum arenâ, ad eam altitudinem, quam materia in vitro ipſo definiet. Vitri orificio impone fruſtulum vitri alicujus, ut probè tegatur, atque minus crucibulum inverſum ſuprà vitrum illud parvum ita conſtitue, ut extrema, & ſumma ipſius ora, dictæ arenæ immerſa, omnem aërem à parvo illo vitro arceat. Crucibula hac ratione coaptata, & parvum vitrum concluſum continentia carbonibus ligneis immitte, & candefac, ut per quartam horæ partem ignita maneant. Refrigerata exime, invenies parum per ſublimationem elatum; Reliquum per Boracem liquatum, Auro prægnans dabit Argentum, attamen ſine lucro, quod ſolummodo dimidiæ horæ intervallo, quid fieri poſſit, demonſtrat: quid lucri autem ex hac ipsâ operatione acquiri poſſit, mox indicabitur. Porrò

Porrò hîc cernitur, quam pulcherrimus Unio prodeat, licet parum admodum proveniat, quoniam in hoc labore haud exigua ejus pars in auram evolat, & tantum ſolos ſuos colores in vitro exhibet, longè pulchriores auro, argento, & lapidibus preciofis, ſi ritè quis operatus fuerit. Nec ullus erit pictor, qui illos imitando, & pingendo expreſſerit.

Hac vice, quæ dico, æqui bonique conſule, & meditando tantam rem accuratius expende. Ora, labora, quære, talia quærendo invenies, quæ nunquam anteà credidiſſes.

Fratres ignorantiæ, inimici mei hic mihi objicient, & dicent, quod elegantiſſimi hi colores non ex Sale, ſed ex Argento ſuum ortum traxerint. His breviter reſpondeo, quod Argenti quidem auxilio ex Sale ſint extracti, ſed per ſe ad Argentum non pertineant. Nam ſi Argentei eſſent, ab Aquâ forti etiam ſolverentur, quod cum non fiat, non ſunt Argentum, ſed mera Salis anima. Hoc ut evidentiore argumento ſtabiliatur, ſolutionem Saturni affero, quæ & ipſa ſine Argento eundem Unionem ex Sale expiſcari poteſt, ſi eodem, quem mox indicavi, modo quis operatus fuerit. Hoc etiam addo, quod poſtea ſim docturus rationem, quâ Saturnus, ex omnibus Salibus, purum putum Aurum, expiſcari valeat.

Redeamus jam ad humidum & frigidum Ignem

Philosophorum, & videamus, quam admirandum Ignem Deus in Salem petræ abdiderit.

Potentissimum in Sale petræ Ignem latitare, non est quod aliquo argumento confirmemus. Rem notissimam arguit horribilis ille pulvis Pyrius, cuncta discutiens, & Aqua fortis omnia Metalla dissolvens, & destruens. Alius tamen, longè potentiorum virium Ignis, in eodem Sale occultus est, quem pauci admodum cognitum, & perspectum habent, & nos hîc, in Dei honorem, & totius Generis Humani emolumentum, patefaciemus.

XVIII. De Præparatione humidi & frigidi Ignis Salis Petræ.

℞. Terræ figulinæ nulli arenæ mixtæ, & ustæ 2. partes, & unam partem Salis petræ optimè purificati. Utraque hac materiâ in pulverem redactâ, & probè commistâ reple retortam vitream, luto bene munitam, eam apto ad hanc distillationem furno impone, collo retortæ adapta vas recipiens, tot aquæ libras continens, quot Salis petræ libræ ad commixtionem adhibitæ sunt, ut Spiritus egredientes eò citius in humiditatem convertantur; postquam luto debito utrumque retortæ, & vasis recipientis collum, exactè junxeris, & muniveris, secundum artem, & per gradus Ignem subministrá, ut Salis petræ Spiritus flavam, aut rubram nebu-

nebulam exeundo repræſentans, aquæ præpoſitæ ſe adjungat.

Omnibus ſpiritibus exeundo ceſſantibus, & ab Aquâ collectis, vas recipiens removetur, & acidus Spiritus Nitri, in forte aliquod vitrum effunditur. A phlegmate ſuperfluo, diſtillationis operâ, liberatus, & rectificatus ad uſus Medicos, & Chymicos adhibetur. De ejus operatione, & viribus fit mentio in Secundâ Parte Furnorum meorum, & in Schrœderi Pharmacopœâ. Porrò ex hoc Spiritu Ignem extrahendi, & concentrandi modus hic eſt.

Affunde hunc Spiritum Nitri, pulveri lapidis Calaminaris, aut Zinco in granula parva redacto, ut ſolvat tantum, quantum poteſt: Ubi in frigore à ſolvendo ceſſaverit, vitrum calidæ arenæ impone, ut plus materiæ ſolvat. Solutionem per Filtrum colla, atque per arenam in retortâ vitreâ, totum phlegma abſtrahe: hoc abſtracto, & remoto, Oleum igneum in aliud vas recipiens appoſitum, igne aucto, expelles, quod probè obturatum conſervabis, quia indeſinenter fumans ab aëre attrahitur, & penitus evaneſcit.

Hic Salis petræ, ut & Vitrioli, ac Salis communis fumus igneus, omnes herbas, gramen, folia & flores, & quidquid attingit, perinde comburit, ac ſi forti ſolis aut ignis calore combuſta eſſent.

Atque hæc eſt humidi & frigidi Ignis Salis

petræ præparatio, de cujus usu & efficaci operatione in Medicinâ, & Alchymiâ, in sequuturis, accuratius & plenius agetur.

XIX. *De Aluminis Igne humido.*

ALumen, distillationis, & concentrationis operâ, efficacem quoque Ignem expromit, efficaciâ & viribus simillimum illi, quem Vitriolum reddit, cui tamen copiâ non respondet, ob nimiam Terram, quâ abundat. Si tamen cæterorum Salium aliquid ipsi adjiciatur, Ignem suum rectè & ordine largitur.

XX. *De humido & frigido Sulphuris Igne.*

QUanquam Sulphur, in Salium ordine, locum non inveniat, eo quod aquæ solutionem respuit, Vitriolatum tamen Salem reconditum complectitur, qui se prius non manifestat, quam pinguior ipsius substantia per accensionem sublata fuerit, cujus operatione Sal attenuatur, & instar acris fumi, cum flammâ, in sublime fertur, adeò ut acris hic Spiritus sulphureus cuncta, quæ attingit, comburat, more omnium istorum Ignium, qui ex Salibus conficiuntur. Hujus Vitriolati, & sulphurei Spiritus acquirendi causâ, Sulphuris flamma excipienda est, Alembico aliquo, ex Vitro aut Terra peculiariter ad hanc operationem facto, in quo Vitriolatus ille Salis Spiritus se condensat, & emanat

instar crassi, pinguis, & ignei olei, non absimilis ei, quod fit ex Vitriolo, de quo in meis Furnis agitur.

Cuncta hæc admodum evidenter stabiliunt ea, quæ antè plures annos, de Sulphure, & Vitriolo, memoriæ prodidi, nimirum quod Sulphur omnium Metallorum sit origo, ac nullum omninò metallum ex terrâ effodiatur, quod aut Vitriolum, aut Sulphur, aut ut plurimum etiam utrumque sibi adjunctum non habeat. Nullum enim Sulphur Vitriolo, & nullum Vitriolum Sulphure destituitur, adeò ut utrumque Metallorum quorum cunque ortum sibi vendicent, & quodvis Sulphur proprio suo, quod penes se habet, agente, aut Sale Vitriolato, à naturâ, cui Centralis Ignis terræ auxiliatur, magis ac magis in Metallum excoquitur, nec Agens hoc universale, sive Sal Vitriolatus, à pinguedine sive patiente suo cedat, donec pinguedo cum Agente in malleum patiens Metallum evaserit. Manifestum hoc reddunt Plumbum, Ferrum, & Cuprum, quæ Metalla nunquam sine Vitriolo, & Sulphure occurrunt, idque eâ de causâ, quia adhuc immatura Agente suo indigent. Apud Argentum Sulphuris aut Vitrioli copia minor, quàm apud Cuprum reperitur. Aurum Vitrioli, aut Sulphuris parum habet, imò planè nihil, si ad summam suam maturitatem pervenerit, quia tunc purum, & malleabile invenitur, ac ulteriore fusione, aut liquatione non eget. Quantò

autem plus cupri Aurum & Argentum obtinent, tantò plus Vitrioli aut Sulphuris, uti & temporis, ad excoctionem, & perfectionem suam requirunt.

Ex his manifestè liquet, quâ ratione Metalla, in Terræ visceribus, longo tempore, à primo suo principio, Sulphure puta, generentur, & ejus proprio, quod penes se habet, Sale aut Agente ad perfectionem maturentur. Si hoc Natura longo tempore efficit, cur etiam fieri non posset, ut Ars idem breviore temporis intervallo præstet. Sed hæc dicta sufficiant. Qui non intelligit, nec etiam percipit scopum, quem tam clarè ostendo, cœcus est, & cœcitatis remedium non admittit.

Hæc pauca quidem, sed lucidissimâ face, longissimam viam ostendentia, de humidis & frigidis Ignibus Mineralium, quibus Metallorum maturatio, & perfectio, tam à Naturâ, in terræ visceribus, quàm ab Arte, suprâ Terram, perficiendæ sunt, satis esse arbitror.

NB. Si igitur Minerale Sulphur, auxilio, & impulsu sui Salis Vitriolati, quo præditum est, à vili suâ formâ & gradu infimo, ad meliorem, ac tandem optimum, hoc est, purissimum Aurum maturari potest, id quod nemo rerum naturalium vel minimâ cognitione imbutus negabit; Item si in quovis Vegetabili tale Sulphur occultum est, quod Minerali Sulphuri, naturâ & proprietatibus suis respondet; Cur etiam fieri non posset,

posset, ut hoc idem æquè, ac alterum in maturum Aurum perficiatur? Hinc evidentissimè liquet, quod in quavis herbâ, quantumvis abjectissimâ, quæ à Sole ad maturitatem suam promota est, immaturorum radiorum Solis, Artis operatione in purum Aurum maturandorum, scintilla reperiatur. Quanam verò ratione ex quavis herbâ, vel quocunque ligno, tale Sulphur, Minerali in omnibus simile, eruatur, in meo Opusculo, de Naturâ Salium, & in Secundâ Parte Miraculi Mundi jam pridem tradidi, ac inferius multo clariore indicio demonstrabo.

Ad Animalia & Vegetabilia pergamus, & consideremus, an in illis ipsis, Ignis ejusmodi maturans, offendatur, & inde etiam erui, ac visibilis reddi queat.

Sciendum autem est, nullum sub Sole animalculum, nullamque herbulam crescere, vivere, & incrementa sumere posse, sine igneo, & salso aliquo Agente, quod licet à quovis superbiâ elato, & stupido vervece credi, & percipi non queat, revera tamen existit, & facilè manu artificis artificiosâ demonstrari potest.

XXI. *Modus potentissimum, ex quovis ligno, aut quacunq; herba Ignem extrahendi, concentrandi, & palpabilem ac visibilem reddendi.*

REple vitreum, lapideum, aut terreum aliquod vas distillatorium sicco aliquo ligno,

aut herbâ aridâ, atque inde acetum distillando expelle, atque ab eo Oleum separa. Acetum verò illud affunde lapidi Calaminari, Zinco, aut Cineribus plumbi, quæ materiæ omnem insipidam humiditatem in distillando dimittunt, ac totam aciditatem secum retinent, quæ per distillationem inde ablata, instar meri ignis, ascendit, magni tam in Medicinâ, quam Alchymiâ usus, de quo postea mentio facienda erit. Hîc autem notandum, Ignem hunc per distillationem expulsum, partem duntaxat esse Ignis illius Lignorum & Herbarum, ac alteram partem in carbonibus remansisse, atque Ignem esse illo, qui ascendit, longè fixiorem, ac tale Sulphur, ut modo supra dictum est, quod Mineralis Sulphuris naturæ penitus respondet, & ex carbonibus, per Sal Mirabile solutis, extrahi potest, atque in sequentibus docebitur, & manifestabitur.

Si enim nullus Ignis ipsis inesset, quo pacto arderent, & calorem expromerent? Omnibus carbonibus in cineres conversis, postquam occultum Sulphur ipsorum, officio suo functum est, ligni feces, instar mortui cineris, remanent, in quibus adhuc occultus latet singularis quidam Ignis Vegetabilis, naturæ omninò alterius, & penitus contrariæ illi, qui per distillationem ascendit. Hic aqua ex cineribus extrahendus lixivium exhibet, quod per decoctionem cunctam aquam exhalat, & igneum Salem reliquum facit, de

cit,de quo in Secundâ Pharmacopœæ meæ parte. Si sine fusione, aut liquatione aliquantò diutius candefiat, magis igneus evadit, adeò ut pisi magnitudine per aliquot horas cuti alligatus, ei parvum foramen inurat, haud aliter, ac si candente ferro inustum esset. Idcirco ejusmodi Ignibus Chyrurgi utuntur, ut immutura ulcera aperiant, aut fonticulos conficiant.

Ex his videre est, etiam diversorum Generum esse Ignes in quovis ligno, aut quavis herbâ, qui & in Animalibus reperiuntur, partim fugaces, & acidi, partim fixi, & Alcalium naturam obtinentes. Uterque Sal, sive Ignis postea conjunctus naturam suam igneam amittit; & aliam sibi qualitatem, & proprietatem adsciscit, mediam nimirum, & contrarii hi duo Ignes evadunt Sal Tartareus essentialis, & usu suavis, in quo nullus Ignis amplius deprehenditur, licet Ignis ille inversus per Artem iterum erui, & visibilis reddi queat. De his mirabilibus Naturæ mutationibus, & conversionibus ex unâ specie in alteram, multa passim in meis scriptis reperiuntur. In Primâ Parte Continuationis Miraculi Mundi apertè describitur, quo pacto ejusmodi Ignis copia, ex lignis, acquiri queat: Ejus autem concentratio hic est tradita. In genere hîc notandum, quod unum lignum, aut una herba, tali Igne, magis, quàm alterum abundet. Quantò aliquod lignum, aut aliqua herba veterior

 est,

eſt, & quantò diutius radii Solares in eam operati ſunt, tantò plus Ignis ſuppeditat, ſicut ex Vite patet, quæ copioſos ejuſmodi radios ſuſcepit, ac proinde Vegetabilibus cæteris omnibus, majore & fortiore Igne, antecellit. Indicio eſt non ſolum Spiritus ejus ardens, ſed etiam Tartarus, ſive Sal Tartareus, qui ferè totus eſt Ignis, & tamen ſine diſtillatione & calcinatione manifeſtari non poteſt. Ut igitur in apertum producatur, & viſibilis reddatur, ſequenti operatione utendum eſt.

XXII. *Vitis Ignem manifeſtandi ratio.*

Vitream retortam communi Tartaro reple, & Spiritum ejus volatilem diſtillando evoca, ut & oleum, quæ debito modo ſeparabis. Oleo huic inſunt magnæ virtutes, quarum in Secundâ Furnorum Parte mentionem feci. Spiritus in Balneo ita rectificandus, ut ſola ignea ſubſtantia exeat, & inutile phlegma in fundo relinquatur. Sali fixo qui in retortâ reſiduus eſt, forti igne candefacto, & calcinato affundendus eſt Spiritus rectificatus, atque inde, per diſtillationem, iterum eliciendus, ut Sal ille fixus inutile phlegma reliquum ſecum retineat, & Spiritus majores vires igneas acquirat, ad perpetrandum in Medicinâ mirabiles effectus, quos mea ſcripta docent.

XXIII. Alius ex Tartaro, longè fortiorem Ignem, eliciendi modus.

SOlve Salem illum Alcalisabum, à quo Spiritus purificando est abstractus, pauca aqua, ut admodum acre lixivium evadat. Hujus lixivii libram unam affunde in cucurbitâ duabus libris Tartari albi, & in pulverem redacti, alembicum cucurbitæ impositum luto probè muni, arenæ juncta vasa immitte, & pedetentim ignem subjice. Si ritè operatus fueris, subtilissimum adipisceris Ignem, cujus una guttula linguam perinde urit, ac si candente ferro tacta fuisset.

Quàm mirabilia hoc Igne effici queant, in aliis Scriptorum meorum locis jam indicavi.

XXIV. Adhuc vehementiorem ex Tartaro Ignem eliciendi ratio.

℞. TArtari crudi, & Reguli Martis partes æquales, quas tundendo miscebis, ac immittes crucibulo ita luto munito, & clauso, ut nullum aërem admittat, ac per horam unam igne candefacies, & eximes.

Ex his omnibus cuivis innotescit, vehementem in Vegetabilibus Ignem absconditum latere, in Medicinâ, Alchymiâ, & aliis artibus multis rebus admirandis efficiendis inservientem, quarum narratione temporis, & hujus tractatus

tractatus brevitas, hac vice nos supersedere jubent.

Porrò autem videndum, an eodem Igne & Animalia polleant, & quâ ratione quis ejusdem particeps fieri possit.

XXV. *Ignium ex Animalibus Præparatio, & Concentratio.*

SIcut Vitis ex omnibus Vegetabilibus nobilissimum; Ita & homo inter Animalia nobilissimum ab omnibus judicio præditis æstimatur, quod verum esse res ipsa testimonio suo luculento affirmat. Idcirco omnia reliqua Animalia silentio præterimus, & solius Ignis in homine latentis parandi modum hic indicamus sequentem.

Veteres Philosophi Magnum orbem, Macrocosmum, & hominem tanquam Minorem Mundum, Microcosmum appellaverunt, ac comparatione factâ, statuerunt, quæ in Magno Mundo reperiuntur, eadem & in Minore Mundo, id est Homine inveniri. Unde etiam unanimiter tum crediderunt, tum memoriæ prodiderunt, tam Majoris, quàm Minoris Mundi Vitam, in Salino Spiritu consistere, atque hunc in uno loco magis, in altero minus dominari. Nec quisquam est quoque, qui inficiari velit, aut possit, totam terram Sale, tanquam balsamo suo, repletam esse, & eo Mineralia, in ipsius terræ visceribus,

æquè

æquè ac Vegetabilia, in ſuperficie terrenâ,naſci. Nihilominus tamen Magni Mundi Sal, nullibi copioſior reperitur, quam in aquâ,ſive maribus, quod ut notiſſimum,nullâ confirmatione indiget.

Idem quoque de parvo Mundo,Homine videlicet, intelligendum eſt, cujus licet totum corpus, ſive omnes partes Sale, balſamo ſuo vero, abundent, Spiritus tamen hujus ſalſi & balſamici major in carnibus, quàm in oſſibus copia reperitur, major item in ſanguine, quàm in carne, maxima verò in veſicâ, ſive ſalſo mari Minoris Mundi, quod neminem quoque latet. Moris autem eſt, ut res neceſſariæ non in remotis locis quærantur, ſed in proximis, ubi inventu ſunt facillimæ.

Hinc quia nullibi in Homine Sal copioſior offenditur, quàm in ejus Urinâ, jure in eadem illum Ignem quærendi, & concentrandi anſam arripimus,atque ſequenti operatione utimur.

XXVI. *Ignem ex Vrinâ Hominis parandi Operatio.*

OPerationem hanc prolixè tradidi in Secundâ Furnorum meorum Parte, quò Lectorem remitto, ubi non ſolum multiplicem hujus Ignis confectionem, ſed etiam varium in Medicinâ uſum inveniet.

Quanquam verò ibidem deſcriptam illam operationem hîc repetere omninò non eſt neceſſa-

cessarium, consultum tamen mihi videtur, evidentioris declarationis causâ, nonnullas admonitiones hîc adjungere, quæ illam concernunt.

XXVII. *Observationes, Ignis Animalis præparationem, concernentes.*

UT plurimum talis Ignis ex urinâ Humanâ, aliquot septimanarum spacio per se putrefactâ, perdistillationem evocatur, & per rectificationem in humidam, & igneam essentiam convertitur, sicut Secunda Furnorum meorum Pars indicat. Ibidem docui rationem faciliorem eliciendi eundem Ignem ex Sale Armoniaco, qui ex urinâ paratur, & fortis lixivii additione distillatur, & rectificatur.

Monstravi quoque eundem Ignem, ex eodem Sale Armoniaco parandi modum, additione lapidis Calaminaris, & distillatione per retortam. Ritè his modis parati Spiritus æquè utiles sunt in Medicinâ, Alchymiâ, aliisque artibus, utpote qui probè confecti omnes sunt boni, quacunque ratione parentur.

Quamvis autem fugaces hi Ignes Animales insignibus rebus effectui dandis inserviant, ac ipse Sal urinæ fixus per distillationem & rectificationem in aliud ignis genus concentrari possint; Longè tamen adhuc absunt ab Igne illo Philosophico vero, quem Veteres tantâ curâ, ac tantâ solicitudine occuluerunt, eò quod in his præ-

præparationibus optima Ignis pars avolat, & amittitur. Hoc autem dico, quod hi concentrati Spiritus urinæ ignei, prout eos parandos docui, omnia quidem ea efficere queant, quæ ipsis attribui, & adhuc attributurus sum; sed unam quidem rem, & eam optimam effectui non dent: Nimirum ut concentratum Vitis Ignem coagulent, quæ coagulatio ad universalis Medicinæ confectionem haud minima clavis existit. Quando enim Spiritus urinæ hanc naturam acquirit, ut subtilissimum Spiritum Vini coagulando, in Salem commutet, ipsi affusus; hoc eodem Sale ritè parato Auro anima sua extrahitur, qui etiam per se, si mutatur, & in siccum, atque suavem Salem convertitur, ac figitur, præclarissimi, & magni usus in Medicinâ Medicamenti vires possidet. Unusquisque, qui vel minima luce naturali illustratus est, facili negotio odorari poterit, quid sub hoc Sale reconditum lateat. Ex Vite purissima est substantia Spiritus Vini, præter omnes alias res hominis cor corroborans, ut & cerebrum, ac cætera ejus membra. Spiritus urinæ est purissimus, & subtilissimus sal Mercurialis, & Animalis, in penetrando, aperiendo, & resolvendo parem non habens. Subtilis igitur, Mercurialis, Animalis, & penetrans hic Ignis, purissimo Sulphuri Vegetabili, id est, Spiritui Vini junctus, ut unà cum ipso in siccum Medicamentum mutetur, quidnam in Medicinâ effecturus sit, facili conjecturâ aliquis providere poterit.

Ut

Ut autem erroris indicium faciam, ac caufam demonftrem, ob quam adeò rarò Vini Spiritus paretur, qui SpiritumVini in Salem coagulet, fequentiũ rationem cuivis habendam effe moneo.

Primò enim animadvertendum, folam fubtiliffimam Spiritus urinæ partem, & non craffiorem, ad Spiritus Vini coagulationem idoneam effe. Si igitur in ejufdem præparatione, Operatoris negligentiâ aut infcitiâ, partis fubtiliffimæ jactura facta fuerit, fieri neutiquam poteft, ut reliqua craffior, & fæculentior, coagulationem illam expediat. Non folum autem in diftillatione, per vitra non fatis munita, fubtiliffimus ille Spiritus evanefcit, fed etiam plurima ejufdem copia, ante diftillationem, amittitur, quando videlicet Urina, fucceffivè collecta, nimis diu ftare, & expectare cogitur, adeò ut pedetentim Spiritus exhalet & in auras abeat, præcipuè cum Æftivo, aut Hyberno tempore congregatur. Nullorum enim extremorum Ignis ille patiens, à parvo calore, aut frigore expellitur, ac proinde commodius collectionis tempus non poftulat, quàm Martium, & Majum, aut Septembrem, & Octobrem, quibus Menfibus aër temperatus, nec minis calidus, nec nimis frigidus exiftit. Hi igitur Menfes quatuor ad colligendam urinam, & Ignem Animalem ex eo extrahendum, funt commodiffimi. Præterea urinæ putrefactæ & diftillandæ addenda eft calx viva, ut infipida aqua eò facilius ab Igne illo fugace femoveatur, quod non fit fi per fe diftilletur.

Hæc

Hæc pauca in Lectoris, & bonorum Medicamentorum studiosi gratiam, hîc silentio præterire nolui.

Quomodo autem hoc Igni Animali Metalla emendari queant, ibi non monstratur, sed, Deo volente, mox in sequentibus monstrabitur. Finimus verò hisce præparationem, & concentrationem Ignium Animalium, & Vegetabilium, quorum admirandæ virtutes, & vires in Medicinâ & Alchymiâ, ac aliis utilibus Artibus, hîc ordine, quantum quidem temporis ratio patietur, manifestabuntur. Reverà dico, quod horum Ignium manifestatione Mundo perverso magnam facem accenderim: Nullus tamen dubito, maximã mortaliũ partem huic luci fidem non adhibituram, sed tergum ipsi obversuram, utpote aspectu dignam non judicantem ejusmodi lucem, à quâ se illuminari patiatur.

Eam autem ob causam, tantarum rerum manifestationem, Deus superbis non concedit, ut se majore superbia non efferant, si noto & communi, atq; omnibus rusticis lucente lumine, majus & clarius consequerentur. Maxima hominum pars, ac cumprimis eorum, qui sapientiæ & eruditionis titulo se efferunt, quid Lux & Tenebræ sint, omninò ignorant. Inspiciatur diligenter veterum Sanctorum vita, inspiciantur actiones ipsorum, qui Divinâ luce illustrati fuêre; deprehendentur certè magna, & præternaturalia miracula edidisse, quæ toti Mundo perverso, & tenebris oppleto factu impossibilia fuerunt.

Solem elementarem quæso aspice, ut & lignorum Ignem, viresque, lumen, & servitia utriusque, quibus omnes creaturæ, & præcipuè ipsum Genus Humanum ad incolumitatem suam uti cogitur; An vel minimum gramen prodire, aut ullus vermiculus, sine Sole, nasci & vivere posset? An ullum opificium, sine communis Ignis auxilio, exerceri valeret? Qui si non esset, herbis non coctis, & carne crudâ, instar ferarum, vesci cogeremur. Imò tota inter homines conversatio, & negotiatio tolleretur, si terreno Igne & lumine nobis carendum foret.

Si in totâ aliquâ civitate, aut provinciâ, aut etiam toto regno unicus aliquis vir esset, qui solus cæteros Ignis & luminis participes reddere posset, annon omnium hominum maximus ad eum fieret concursus? Sed quoniam unicuique Ignis notus est,& eum quisque ex silicibus facili negotio excutere novit, in nullo precio habetur, sicut & res illæ omnes in nullo precio haberi solent, quæ vulgares fiunt, quantumvis etiam preciosæ fuerint. Idem Igni contigit, qui licet maximi deberet fieri, nihili tamen ducitur, quia communis & vulgaris est.

Quemadmodum autem vulgaris, & unicuique notus Ignis, quamplurimis utilissimis operationibus,multum boni exhibet mortalibus,qui ejus usu minimè possunt carere: Ita etiam artificiosos & occultos illos Ignes plurimi ducendos esse assero.utpote quibus ad præparationem efficacium

cacium medicamentorum Medicus ægrè, & ad viliorum Metallorum in meliora transmutationem Chymicus nunquam carere potest; Uterque sine ipsorum auxilio, in Chymicis laboribus, nihil magni alicujus momenti præstiturus.

Qui talium Ignium ignorantiâ laborat, quid in Metallicis efficiet? In frigore & tenebris versans eadem affligitur difficultate, quâ pistor aliquis, aut cerevisiæ coctor, hyberno tempore lignis destitutus, aut aquâ in glaciem concretâ uti non valens, quorum ille panem pinsere nequit, licet optimam farinam habeat, & hic cerevisiam coquere non potest, etiamsi optimo frumento abundet.

Sic etiam cum Halchymicis Ignibus comparatum est, quorum egestas facit, ut nobilissimam Alchymiam cum utilitate aliquâ non tractemus, sed ex eadem damnum potius percipiamus. Experientiâ quotidianâ teste, citius centum solent pessum ire, quam uni alicui contingat, ut sibi aliquas ex Alchymia divitias acquirat. Cujus incommodi culpa in impossibilitatem Artis non transferenda, sed potius imputanda defectui humidorum, frigidorum, & maturantium illorum Ignium, ex Salibus erutorum, qui quo pacto ad Metallorum emendationem, ut & Medicinam, atque cæteras Artes usurpari debeant, partim in hac, partim in sequentibus Centuriis docebitur.

Audacter itaque affirmationes meas toties iteratas repeto, & firmiter assero, quantum quidem magnorum sumptuum operâ mihi hactenus innotuit, quod in Halchymiâ, sine his Ignibus Salium humidis & frigidis, nihil utilitatis, & commodi expectandum sit. Qui Ignes, quandoquidem paucis etiamnum manifesti sunt, atque ob hanc ignorantiam, maxima Chymicorum Pars, hactenus laboribus irritis, Alchymiam coluit, ac in tenebris luci inhiavit; Eorum manifestatione cœcos ex obscuritate, in novum, & illuminatum Mundum educo, & quidem ita, ut fieri neutiquam possit, quin Alchymia, in plurimis locis efflorescendo, fructus opulentissimos allatura sit. Eâ de causâ primum Deo, tanquam omnium bonorum datori, ac postea iis maximæ agantur gratiæ oportet, quibus Divina gratia concedit, ut huic ultimo & pessimo Mundo tanta mysteria patefaciant.

XXVII. *Generalis Usus nostrorum concentratorum, Igneorum, & maturantium Spirituum, ex Salibus extractorum, in Metallorum in nobiliora emendatione, & conversione. Præparatio item multorum excellentium Medicamentorum, & Augmentum, atq; emendatio plurium aliarum Artium, breviter hîc demonstrata, quæ prolixius, Deo dante, in particulari usu declarabuntur.*

UT in pauca conferam, si imperfecta Metalla vulgarium, & crassorum Salium, atque

que Ignis operatione, frangi, deſtrui, mundari, & in meliorem formam redigi poſſunt, id quod Quinta Pars Proſperitatis Patriæ, diverſis experimentis, ſtabilit, Salium Spiritus puros, idem majori efficaciâ, & longè melius efficere, affirmo: quod cum ſimplices illi Spiritus illud melius & facilius, quàm craſſi Sales præſtare queant, quidni & concentrati Spiritus omnium optimè & facillimè idem effectui daturi eſſent?

Pari ratione in Medicamentorum, & aliarum artium apparatu, Salium uſus tantæ non erit efficaciæ, quantæ Spirituum vulgarium uſurpatio, qui tamen ut plurimum adhuc multo phlegmate imbuti, neceſſariò tantas vires non exerunt, quantas concentrati, & ignei illi Spiritus, qui omni phlegmate liberati ſunt.

Exemplo ſunt Solares radii, tantum calorem non emittentes, quando aëri humido commiſti ſunt, ſicut & viridia, & humiditate imbuta ligna fervore tanto non exardeſcunt, quanto arida, & ſicca ſolent. Imò ſi Solis calidi radii cavo aliquo ſpeculo, ignem augente, aut ignes carbonum, forti follium flatu concentrantur, & quaſi in anguſtias coguntur, decies, imò centies plus efficiunt, quàm illi, qui tali pacto non concentrantur. Quò magis verò & arctius illæ Solarium radiorum, aut cæterorum ignium vires concentrantur, eò majorem, fortiorem, & acriorem calorem expromunt.

Speculum Igni augendo inſerviens, ſi diame-

trum habuerit unum pedem longum, lignum duntaxat accendet. Si verò diameter ipsius duorum pedum longitudine se extendet, stannum, plumbum, aliasque ejus generis metallicas materias liquatu faciles, ut Bismuthum, Zincum, Koboltum, &c. liquefaciet. Si in eodem speculo diametri magnitudo quatuor pedes continebit, Solares radii fortiora incrementa sumentes, argentum, & cuprum fundent, ipsumque ferrum adeò candens reddent, ut perinde malleo tractari queat, ac si prunis incanduisset. Hiç effectus Solarium radiorum, per instrumentum concentrationi, & caloris carbonum per follem, aut ventum, coactioni ascribendus est.

Idem de nostris concentratis, & humidis Ignibus intelligendum, qui non solum cum radiis vulgaribus Solis, aut calore Ignis culinarii, sed etiam cum illis Solaribus radiis, qui speculo concentrantur, & igneo carbonum æstu, follium flatibus coacto, comparari debent. Unde necessario majorum virium sint oportet, quàm vulgares Sales, & Spiritus eorum aquosi, quod capere & credere satis potest, quicunque ingenii sagacioris viribus pollet. Oculis hoc vident, atque manibus palpant simplices rustici, & opifices, probè scientes, quod subtiles, calidi, suaves, & cordi robur conciliantes Vini ac Cerevisiæ Spiritus, quando per distillationem ab omni humiditate liberantur, & per rectificationem concentrantur, decies plus efficiant, quàm si adhuc cum

Vini aut cerevisiæ humiditatibus, efficaciam nullam habentibus, mixti essent.

Ut clarius rem intelligas, uvas, frumentum, aut arboreos fructus perpende: Uvis, & arboreis fructibus, ut pomis & piris vescimur, eâ substantiâ, quâ nobis ab arboribus suppeditantur: Nutrimentum quoque nobis suppeditant, sed tale non, quale succus eorum expressus, à fecibus suis segregatus, ac per fermentationem in clarum, suavemque potum redactus, suppeditat. Necessitate urgente frumentum nutrimenti causâ usurpari posset, non tamen ita, quàm si à suis siliquis separatum, in farinam mutatum, aquâ in massam redactum, sale consperſum, fermentatum, & igne in optimi saporis panem excoquitur. Eadem omnino ratione aquâ nudâ coctum frumentum, potionem exhibet ipsâ aquâ quidem aliquantò meliorem: Sed si artificiosè tractetur, & in cerevisiam excoquatur, siliquæ à puriore succo separantur, qui posteà per fermentationem plures adhuc feces à se removet, & in nobiliorem naturam abit, potum suaviorem, & meliorem exhibens. Si verò postea idem succus per ulteriorem distillationem ad majorem puritatem deducatur, & per rectificationem concentretur, ut frumenti vires quasi in angustum coarctentur, longè majores vires, utpote merus Ignis, exercebit, quàm frumentum crassum, quod tantas vires exercendi caret.

 Sic

Sic cum Salium concentratione etiam comparatum eſt, quibus nimirum ſuæ fœces, Artis auxilio, eripiuntur, ac puriores partes in igneam ſubſtantiam convertuntur, ac concentrantur, in Alchymiâ magni momenti effectus præſtantem.

Quod autem Salia communiter, tam per humidam, quàm ſiccam viam, Metalla deſtruant, lippis & tonſoribus notum eſt. Quâ ratione verò deſtructa Metalla, in nobiliora, quàm anteà fuerunt, corpora reduci queant, nemo hactenus fuit, qui talis artificii gnarus, illud ſummâ ſolicitudine non occultaverit. Hinc factum eſt, ut nihil commodi ex Metallicâ tranſmutatione perceptum, & ipſa Alchymia ludibrio habita fuerit ab ignorantium imperitiſſimâ turbâ, perinde ac ſi falſiſſima, penitus ab omni veritate longiſſimè abeſſet. Sic docti pariter & indocti, ſummi & imi, juvenes & ſenes in eam opinionem inciderunt, Alchymiam nil eſſe, niſi merum ſomnium, inane figmentum, & vanum quoddam Phantaſma, quæ Metallorum imperfectiorum in perfectiora tranſmutationem, vaniſſimâ effictione, excogitaverit.

Quandoquidem verò de hujus Artis veritate non ſolum tot Ethnici Philoſophi, in quorum numero Reges etiam fuerunt, verum etiam inter Chriſtianos quamplurimi, tam majoris, quàm minoris conditionis homines celeberrimi, ut Epiſcopi, Cardinales, aliique viri doctiſſimi,

ſcripſe-

ſcripſerunt, & eam veriſſimam eſſe teſtati ſunt, ipſam tantorum hominum reſpectu rejicere, atque hos ipſos tantorum mendaciorum accuſare, nemo auſus, ſed ipſi ſuam exiſtimationem relinquere quiſquis coactus eſt.

Dubium igitur hoc ut omninò tollatur, & ipſa veritas evidentiſſimè in conſpectu ponatur, in animum induxi, Deo adjuvante, Metallorum veram, & utilem tranſmutationem, perſpicuâ deſcriptione, toti Mundo ob oculos ponere, ac tot ſcriptorum, à tantis viris editorum, certitudinem veriſſimis experimentis aſſerere, ita ut unuſquiſque, levi ſaltem ignis cognitione imbutus, facili negotio commodum aliquod ex iis ſit conſequuturus. Agam autem primò de communibus, & crudis Salibus, deinde de ſimplicibus eorum Spiritibus, ac tandem de concentratis ipſorum Spiritibus & Ignibus, quos ex ipſis eruere docuimus.

Antequam verò hanc Regiam Artem deſcribendam & aſſerendam aggrediar, prius cauſam indicandam duxi, cur in ejuſdem deſcriptione nonnulla loca occurrant, in quibus verba omiſſa, & eorundem loco ſigna repoſita ſint. Hoc ſcilicet ideò factum eſt, ut indignos ars celetur, ab eadem omni ratione arcendos, & ſolis adeptis, atque filiis Artis innoteſcat. Prætereà quoq; ut cuncta ſecreta non paſſim, & ſine diſcrimine divulgentur, ſed illorum præcipua reſerventur amicis, ne ab indignis illis Farnerianis &

Harprechtianis porcis conculcentur, & conterantur, sed Amicis, tanquam ictus aliquis clandestinus, & aliis incognitus, ad feliciter pugnandum, relinquantur.

Amicâ igitur petitione ab unoquoque contendo, ne mox irascatur, si non cuncta ea, quæ propono, ingenii sui acumine valeat perspicere, sed potius cogitet, non pro se scripta esse, sed pro aliis, quorum captu percipi possunt. Nec omninò necessarium est, ut omnes omnia sciant; Nec etiam conduceret, si hostes & amici, sine omni discrimine, pariter cuncta hæc intellectu suo assequerentur, quæ hîc descriptionibus meis in apertum produco. Satis est, ut aliqui duntaxat, & quidem digni, eadem perspecta & cognita habeant, ac veritatem testentur. Unicuique integrum erit ea ex iis depromere, & in usum suum convertere, quæ intelliget: Quæ captum suum superantia non intelliget, eorum investigatione supersedeat, & non succenseat, quod unus altero scientiâ dignior existat. Non in eodem gradu Deus omnes homines locavit, quippe volens, ut alter alteri serviat, ac unus alteri dominetur, prout dignus judicatus fuerit. Porrò precor, ut quisque his, quæ scripsi, contentus, rogando & scribendo in posterum mihi molestiam exhibere desinat, nullas literas amplius accepturo, nec ad aliquas responsuro. Si plura revelare voluissem, omninò mihi integrum fuisset illud facere, nec opus fuisset tamdiu expectare,

re, donec rogationibus aliorum mihi negotium facesseretur. His igitur acquiescendum erit.

XXIX. *Infallibilis Praxis, crudorum Salium adjumento, imperfectiora Metalla, in perfectiora mutandi.*

SIcut jam paulò antè, & etiam in aliis meorum Scriptorum locis satis evidenter demonstravi, quod Sales sive Salium Spiritus in terrâ, & extra terram Agens sint universale, Metallorum maturationem promovens; Ita idem hîc denuo firmiter assevero, & dico, quod à Salibus crassa Metallorum corpora destruantur, & in nobiliora Metalla transmutentur, & quidem variis ac multiplicibus modis, ac facilius, aut difficilius, prout aliquis magis, aut minus in laboribus Chymicis versatus fuerit. Cuncta hic, Deo volente, manifestabo, non cuivis tamen, sed dignis tantum, & quidem horologopœorum more, qui horologium aliquod sejungentes, omnes partes ejus, sine ordine aliquo, alicubi reponunt, quas artis imperitus nunquam rursus componet & in ordinem rediget; Alius verò, qui artem illam fabrilem anteà tractavit, omnes illas partes facili negotio rursus conjunget, & in pristinum horologii corpus reducet.

Omnes igitur ii, qui anteà labores, Igne perficiendos, experti sunt, ex his meis descriptio-

nibus

nibus facilè se expedient, intellectu haud facilibus futuris, ignorantium turbæ, quæ nulla Ignis experimenta fecit, & frustra inspiciet ea quæ scripsi; haud aliter ac si quis legendi & scribendi planè imperitus, scriptas literas aspiciat, & nesciat, quid significent, aut quod argumentum contineant. Ejusmodi homo, si scriptori succensere vellet, annon ipsi injuriam facturus esset, utpote absenti à culpa ignorantiæ illius, quæ impedit, quominus illas literas legat, qui nunquam legere didicerat.

Idem intelligatur oportet de scriptis meis, non in cujusvis, sed eorum solummodo gratiam in lucem editis, qui scripta istiusmodi intelligere prius didicerunt.

Verum ut rem ipsam aggrediar, & Metallorum emendationem in meliora doceam, ipsum fundamentum negotii totius indico, & dico, ipsorum mutationem veram frustra tentari, & exspectari, nisi prius destruantur, & penitus occidantur. Granum tritici, ut Christus ipse ait, nunquam incrementa sumet, aut se multiplicabit, nisi prius in terrâ putrescat. Si igitur Metalla per putrefactionem destrui debent, Salium auxilio illud fiat oportet, secundum Axiomatis Philosophi veritatem: Unius corruptio alterius est generatio: Unius mors alterius vita existit. Cum igitur Metallis moriendum sit, necesse est, ut ab hostibus, aut contrariis rebus ipsis mors inferatur, quia nihil tam in naturalibus,

quàm

quàm artificialibus moritur, nisi à suo hoste occidatur.

Cum Metalla igitur à Salibus, suis hostibus, destrui & occidi debeant, necesse est, ut ab iisdem invadantur, torqueantur, ac tamdiu crucientur, donec Agens, tanquam fortior pars, à Patiente, tanquam debiliore parte, vincatur, occidatur, ac in meliorem naturam traducatur, in quâ Actione patiens ab Agente non recedere, sed cruciatu non intermittente, torqueri debet.

Quisquis suum hostem in conspectu habens, debilioribus se viribus præditum esse novit, quantum in se est, recedendo impetum hostilem declinare studet. Omni autem occasione aufugiendi & elabendi ereptâ, tradere vitam suam cogitur hosti, qui Patientem partem pro lubitu suo tractat, & ex eo, quicquid vult, facit.

Sic se Metallorum emendatio habet, quæ licet unà cum Salibus suis hostibus liquarentur, eos tamen parvi facerent, & in ipsâ fusione se ab iisdem segregarent, adeò ut quævis pars illæsa suam naturam, & essentiam conservaret. Si autem Sales Metallis fugiendi occasionem adimunt, & suis carceribus includunt, ut elabendi nullam viam habeant, sed maneant, patiantur, & moriantur, tunc Salis victoriâ potiuntur, atque ex occisis Metallis puriora & meliora fabricantur. Fit hoc in Igne per viam

viam humidam, & siccam, de quibus jam satis multa. Hæc integra est Ars illa, præterquam aliis documentis superfluis non opus esset. Cui tamen hæc non sufficiunt, sequentes operationes perlegat, in quibus veritatem inveniet, atque oculis videbit, manibusque palpabit ea, quæ ipsi & aliis plurimis ante hac impossibilia fuêre.

XXX. *Quomodo Metalla ab hostibus suis occidantur, & in meliora transmutentur.*

Metallis non unus, sed plures hostes adversantur, eorumque hostium pars his inimica & aliis amica; illa verò his amica, aliis inimica existit. Exempli gratia:

Aurum odio hostili nil magis prosequitur, quam Sulphur comburens, & Sales sulphureos, quales sunt Alcalia, & Tartarus crudus. Odii causa est, quod Aurum nil nisi fixum est Sulphur, atque propterea odio capitali ab omni Sulphure comburente diffidet. Argentum & plumbum omne Sulphur, & omnes Sales Sulphureos amant, quales sunt Vitriolum, Sal petræ, Sal Armoniacus, & similes, quibus ad colorem suum indigent. Contra Salem culinarium oderunt, utpote Mercurialis naturæ, atque ideò ejus opem non requirentia, sed solum Sulphur, & tincturam desiderantia. Cuprum, Ferrum, & Argentum Vivum utramque naturam. Mercurialem

puta,

puta, & Sulphuream possident, eamque ob causam cuncta Sulphura, & quævis Salia amore prosequuntur. Stannum hostis est omnium Salium, sive Sulphurei sint, sive Mercuriales. Quando à Sulphure & Sale occiditur, & ad vitam revocatur, purius & tenuius corpus, sive Auri sive Argenti nanciscitur, prout tractatum fuerit.

Porrò si quis ex melioribus Metallis adhuc meliorem essentiam consequi cuperet, eadem necesse esset, ut per suos hostes occideret, & per amicos resuscitaret. Quantò majores & vehementiores sunt hostes, à quibus Metalla occiduntur, tantò magis ipsa patiuntur, & tantò clarioribus, & melioribus corporibus resurgunt. Tota igitur Ars in eo consistit, ut Metalla maximis suis hostibus obruantur, occidantur, post mortem ab hostibus suis separentur, atque per optimos suos Amicos vitæ meliori restituantur. Totam Artem habes, nec aliud quid superest, quam ut rem aggrediaris, & manum admoveas.

Exempli causâ Operationem addam.

Occide levem per Spiritus Salium sulphureorum acres, ut calx alba evadat. Hanc aquâ affusa Spiritibus salsis libera, quæ liberata nullâ Ignis violentiâ in Metallicum corpus reduci potest. Similiter occide Metalla Mercurialia ut sunt B, per Mercuriales Sales, ipsorum hostes, & multa in albas calces, quæ suâ salsedine libe-

ratæ erunt fusiles. Eas calces Mercurialem puta & Sulphuream occisam misce, impone duplici Vasi cementario, tege superius aliquâ copiâ B. probè luto utriusque tigilli cementorii juncturam muni, fornaci cementoriæ immitte, lenemque principio ignem adhibe, ut calces se invicem adoriantur, & fixum Sulphur fugacem, fusilem, & Mercurialem calcem D. vinciat. Quanquam enim in cemento aliquid in fumum abire vellet, illud tamen ab E. intercipitur, atque aliquo modo ita in gradum F. exaltatur. Ad cementum ipsum non statim nimius calor admovendus est, ut fugaci materiæ aliquid temporis concedatur, quo se adjungat fixæ materiæ, & cum eadem quoque fixa & constans evadat. Per quatuor igitur horas ignis aliquanto remissior erit, ac postea per 8. aut 10. horas in candore claro conservabitur, ita tamen, ut G. non liquescat. Tempore dicto finito ignis extinguendus, & vas cementarium eximendum, in G. nigrum & fragile invenietur, Argentum continens, cujus facilem separationem postea audiemus. Utriusque Metalli calx, in durum lapidem coagulata, si in farinam molendo redigatur, atque in fornace ad hanc rem apta fundatur, corpus Metallicum acquiretur, haud pauci Auri, & Argenti prægnans, inprimis si Metalla non vulgarium Salium Spiritibus, sed Aquis Gradatoriis Martialibus occisa fuerint. In hoc cemento H. Aureum, & I. Argen-

Argenteum, unâ & eadem operâ redditur. Emolumentum ipsum quoque haud exigui est momenti, præcipuè si hæc ipsa operatio majore copia & majoribus instrumentis exerceatur, semper Argentum Auro prægnans ad separationem subministratura.

XXXI. *Brevis & compendiosa ratio fugax Aurum ex coloratis silicibus, rubro Talco, Granatis, Arenâ, Argillâ, similibusque terris Metallicis extrahendi, & corporale reddendi.*

PRincipio Mineræ istæ, aut terræ Metallicæ candefaciendæ, aquâ frigidâ extinguendæ, & in molâ in farinam, aut pulverem comminuendæ sunt. Postea sic comminutas immittes in Waldenburgensem, aut Coloniensem aliquem cantharum, atque Aquæ Regis tantum ipsis affundes, ut tantummodo humectentur, & cum cantharo suo apponantur igni carbonum, atque eodem circumdato calefiant. Postquam Mineræ & Aqua Regis probè unà incaluerunt, ipsis Mineris affundendum calidę aquæ tantum, quantum ad Aquam Regiam extrahendam necessarium erit. Mineras aquâ sic humectatas impone in magnas, & ex optimâ terrâ confectas ollas, in fundo plura foramina parva habentes, quibus imposita sit charta bibula ad sustinendas Mineras, ut per foramina non excidant, sed aquam solam dimittant. Post aquam

primam egressam, alia calida denuo infundenda, atque hæc affusio aquæ tamdiu continuanda est, donec ipsa eadem dulcedine, quâ affusa est, abeat, & nullam acredinem amplius gustui offerat. Sic aqua vulgaris, & calida Aquam Regis, & Aqua Regis aurum ex Mineris secum abducit.

Ollæ constitutæ sint in scamno foraminibus pertuso, per quæ ipsarum fundi transeant, ut ita suppositis vasis aqua excipi queat, ut apposita figura ostendit.

NB. Mineræ possunt quoque immitti doliis duplicem fundum habentibus, qualia Sali petræ eluendo adhibentur, ut ita tamdiu aqua affundatur, donec omnis acrimonia ex aqua extracta sit.

XXXII. *Quomodo ex Mineris extractis, adhuc verus Sal petræ, cum emolumento, comparari queat.*

Mineræ dicto modo per extractionem liberatæ, commiscendæ sunt cum ejusdem ponderis calci vivæ, & cineri lignorum, ac conjiciendæ sunt in unum cumulum sub pergulâ aliquâ, ut subinde urinâ, aut si hæc deficiat, aquâ pluviâ humectari possit, quotiescunque exsiccatæ fuerint. In hac operatione Aqua Regis, quæ in Mineris remansit, & per aquam calidam penitus non extracta fuit, urinæ aut aquæ pluviæ adjumento, Salem in calce vivâ, in optimum Salem petræ commutat, qui aqua pluvia elui, & solito

more

more excoqui poteſt. Poſtquam igitur Mineræ dictæ, dimidium aut totum annum, dictâ ratione tractatæ ſunt, & ipſo Sale petræ per elotionem orbatæ ſunt, rurſus ſub pergula, aut tecto aliquo ita aëri expoſito, ut pluvia ſubire nequeat, in cumulum congeri, & priore modo tractari poſſunt, ſuo tempore novum Salem petræ ſuppeditaturæ, quod per plurium annorum ſeriem fieri poteſt. Sic & ex Aqua Regis illa, quæ omnis ex Mineris elici non potuit, commodum percipitur. Cauſa hujus Salis petræ confecti hæc eſt: Quia Aqua fortis, aut Aqua Regis, ſive Spiritus Nitri in iiſdem aquis, quaſi ſemen Salis petræ continet, eam naturam obtinet, ut inſtar herbæ, ex aliis Salibus incrementum ſumat, & multiplicetur; Unde forſan natum vetus adagium, Salem ſerere, quod ignorantes ludibrio exceperunt, dicentes, quo pacto Sal ſeri & multiplicari poteſt, cum ab aqua pluvia ſolvatur, & auferatur? Sed hos latuit, qualis Sal, & quomodo ſerendus ſit, quod hîc demonſtravimus ſimul dicterii veterum Philoſophorum veritatem aſſerentes, quod Sal inſtar Vegetabilium ſeri, & multiplicari poſſit.

Quod ad acres illas aquas attinet, quibus Aurum ex Mineris extrahitur, quonam artificio ſint tractandæ, ut etiam ſine jacturâ, imò cum emolumento Aurum illud reddant, ſequentes operationes obſervandæ ſunt.

XXXIII. *Via monſtrans extractionem volatilis & fixi Auri ex aquâ, quâ mineræ ablatæ ſunt; atque emolumentum, quod ex aquâ illâ percipi queat.*

OPtima via hæc eſt: In ſolutionem Auri, vel in Aquam quæ Aurum continet, infunde ſolutionem Lunæ vel Saturni, plus vel minus, prout auri plus vel minus in iſta aqua ineſſe ſuſpicaris. Exemplum propono.

Sunto in aquâ 2. aut 3. Auri lotones: Solve igitur circiter 2. aut 3. Argenti aut Plumbi lotones in Aqua forti, & effunde hanc ſolutionem in Aquam Aurum continentem, ſive major, ſive minor ejus copia fuerit; per ſtrenuam commotionem omnia confunde, ut lactis formam aquâ nanciſcatur: poſtquam cuncta quieſcendo conſederint, rurſus move, motionemque hanc unius horæ ſpacio aliquoties itera, ac tandem permitte, ut quieſcendo cuncta fundum petant. Claram aquam omnem per effuſionem à ſedimento ſegrega, ſedimentumque ipſum per filtrum cola, ut aqua penitus ab Argento ſeparetur. Argentum hoc exſiccandum eſt, & reducendum in priſtinum ſuum corpus, modo, qui mox ſequetur.

NB. Si Argentum aut plumbum omne Aurum ex Aquâ non extraxiſſet, quod facilè contingere poteſt, illud tamen amiſ-

ſum

ſum non eſt: nam quia Aquã dulcis, qua Aqua Regis debilitatur, adeſt, quæ ad alium extractionis ex mineris uſum, jam inepta exiſtit, eidem jam per ſolutionem Lunæ aut Saturni Auro ſuo orbatæ, affundi poteſt lixivium acre ex lignorum cineribus, cum calce vivâ paratum, cui admiſcendum parum .Nam
omne Aurum in ſolutionibus præcipitant. Hac ratione Aqua Regis occiditur, & omne Metallum, quod adhuc ſecum retinet, inſtar flavi pulveris dimittit, ſive Aurum ſolum ſit, ſive cupro, aut ferro admixtum, qui pulvis etiam ſiccandus, & modo, quo mox docebitur, reducendus erit.

NB. Aqua, poſt omnimodam Metallorum præcipitationem, in aheno cupreo uſque ad cuticulam exhalata, & in peculiaribus vaſis frigori expoſita dabit tibi pulchrum Salem petræ, in ſtirias concretum, ex quo iterum Aquam fortem conficies, denuo ad ſimiles operationes uſurpandam. Qui ritè operabitur, tantum Salis petræ acquiret, quo Aquæ fortis, ac Aquæ Regis impenſas compenſabit, ut ita ſine ſumptibus ſuum Aurum extraxerit. Nam 5. aut 6. libræ Aquæ fortis, in qua 2. aut 3. libræ Salis ſolutæ ſunt, & quæ tandem acri lixivio cum calce vivâ parato

præcipitata fuit, reddunt circiter 10. libras Salis petræ, quæ 5. librarum Aquæ fortis precio reſpondent. Atque hic eſt modus ex Mineris Aurum ſine ſumptu extrahendi.

XXXIV. *Alius & melior modus Aurum ex Aqua Regis eliciendi.*

Ex torrendo cinerem confice, Extractum in ferream ollam infunde, ac Calcem ſpatulâ ferreâ move, dum coquitur. Omnes acres Spiritus adhærent , & Phlegma ſolum per exhalationem evaneſcit. Quando igitur Spiritus apud penitus concentrati, & exſiccati ſunt, immittuntur ſecreto tigillo vel crucibulo, ,tunc ignis concentratos Spiritus in vas recipiens expellit, qui ad novam extractionem, adhiberi poſſunt. Ferro mixtum, & fugax Aurum manet apud , quæ calx in fornace ad hanc operationem apta, quam Germani Stichofen appellant, reducta expromit Plumbum Auro mixtum, quod per cupellam expulſum, optimo Auro & Argento operatores ditat.

NB. Si autem tale Plumbum Auri & Argenti tantum non contineret, ut ſeparationem per cupellam non mereretur, illud rurſus cum , & in

, & in cineres reducendum, atque tamdiu operatio iteranda, donec satis dives Auro, Plumbum separationem illam mereatur. Ipsa separatio simul follibus perficienda erit, ne tanta Saturni copia ex testis eliquanda sit, quæ operatio multum ignis requirit. Plumbum tamen, sine eliquatione, in testam conferri potest, sicut postea docebitur.

XXXV. *Facilis confectio Aquæ Regis, ad Minerarum extractionem.*

QUia Spiritus Salis copiosa multitudo facilè paratur, Sal petræ tantum in eo solvendus, eaque solutione Mineræ extrahendæ sunt. Roborat enim Sal petræ Spiritum Salis, ut eò facilius tenerum Aurum in mineralibus illis aggrediatur, & arripiat. Idem Salis Spiritus, etiam sine ullâ rectificatione, ad hanc operationem adhiberi potest, qualis nimirum in primâ distillatione ascendit.

XXXVI. *Alia ratio adhuc facilior Aquam Regis ad Extractionem parandi.*

QUoniam in hâc operatione semper Argentum Auro prægnans prodit, per Aquam fortem separandum, Argenti solutio etiam ad extrahendum commodè usurpatur, hoc modo. Dictam solutionem infunde in Aquam

Regis, quæ Aurum extraxit, ut maximam ejus partem Argentum ſibi attrahat. Eadem verò Aquâ Regis iterum aliud Aurum extrahi, & ſolutione Argenti attrahi poteſt. Si autem nulla Argenti ſolutio in promptu eſſet, extractum concentratur & operatio perficitur ſupra dictâ ratione, depellendo Spiritu,

& reducendo in fornace Germanis Stichofen appellatâ.

NB. Aqua Fortis in eo ſoluta, & Aquæ Regis, aut Spiritui Salis Nitroſo infuſa, Aquæ Regis incrementum, & robur addit, quia Aqua fortis melius, quàm Sal petræ Spiritum Salis corroborat.

XXXVII. *Quomodo Calx Argenti, quæ Aurum ex Aquâ Regis expiſcata eſt, recuperanda ſit.*

QUando Argenti ſolutio in Aquam Regis infuſa, & potiſſima pars Auri extracta eſt, tamdiu quies ipſi conceditur, ut calx Argentea fundum petat, ac poſtea Aqua Regis clara effundendo, à calce argenti ſegregatur, ad extractionem novam rurſus uſurpanda. Niſi forſan tantum ferri admixtum eſſet, quo in caſu

Argenti calx alba imponitur linteo alicui, orificio vitri aut lapidei alicujus vaſis impoſito, in quod

quod reliqua Aqua Regis diſtillet. Poſtea aquæ calidæ aliquid adhuc affunditur, ut manando in ſubjectum vas Aquæ Regis, quod in calce Argenti reliquum eſt, ſecum abripiat. Ex linteo probè colligato exprimitur reſidua aqua, & calx ſiccanda exponitur, atque in ſecreto tigillo reducitur, aut in concentratione in Argentum, aut Aurum uſurpatur.

XXXVIII. *Quomodo præcipitatum Argentum, ſine ponderis detrimento, reducendum ſit.*

QUandoquidem Argenteæ huic calci maxima fugacitas eſt conciliata, ita ut in vulgaribus crucibulis, ſine magnâ jacturâ, ipſi priſtinum ſuum corpus reddi nequeat, incommodo huic convenientiore modo occurri non poteſt, quàm eo, qui ſequitur.

Æquale pondus huic fugaci calci admiſce, atque immitte candenti crucibulo ſecreto, ſuperius anguſtiori, & inferius latiori, quod poſtquam operculo ſuo, Sapientiæ luto probè munito, texeris, materiam colliquabis, de quâ nihil in fumum abibit, nec etiam vel minimum per tigillum penetrabit, atque omne Argentum, quod Aurum ſuſcepit, hoc pacto ſine ullâ jacturâ acquiritur. Hoc per fuſionem in grana rediges, & ab

& ab iisdem in Aquâ forti Aurum separabis, atque Argentum reductum ad novum laborem rursus adhibebis, quo labore sine intermissione pergens, habebis continuam operationem separatoriam Auri & Argenti, laboremque hunc, summo cum emolumento, omnibus in locis, exercere poteris.

XXXIX. *Argentum fugax majore cum utilitate reducendi alius modus.*

AUreæ hujus Naviculæ gubernaculo impone pisciculum, Remoram nomine, ut fugacitate suâ spolietur, & consistat. Hanc Naviculam argenteam cum pisciculo Remora, ipsius gubernaculo insidente, in secretum, & quadratum tigillum immitte, ut per fusionem in unum corpus abeant. In hac fusione non solum omne Argentum, sine omni damno, in corpus pristinum revertitur, sed etiam ex pisciculi albis spinis, ponderis sui incremento aliquo augetur, & magis aureum evadit, adeò ut hoc additamento plus Argenti melioris comparetur, quàm si per aliarum rerum adjectiones, pristino suo corpori restitutum esset. Quænam alia commoda, hujus fugacis Argenti ope, quis nancisci queat, Deo volente, posteà docebimus.

Hæc sunt, quæ hac vice de facili extractione fugacis Auri ex lapidibus, & pauperioribus Mineralibus, ut & Argenti per successivos gradus in Aurum

in Aurum deductione, docere volui: De quâ re in aliis locis plura dicentur.

XL. *Operatio per humidam viam Lapides, & Mineras Argenti, & Cupri pauperes, extrahere docens.*

EOdem modo hæ materiæ candefiunt, aquâ extinguuntur, in molâ comminuuntur, Aquâ forti humectantur, & extrahuntur, quo superius de mineris Auri traditum est, nullaque hîc differentia occurrit, nisi Aquarum extrahentium, cùm Aurum per Aquam Regis, & Argentum per Aquam fortem extrahatur. Si Mineræ Auri & Argenti simul in promptu sunt, Aurum per Aquam Regis, & Argentum per Aquam fortem extrahitur, & solutiones confunduntur, in quâ solutione Argentum apud Aquam Regis præcipitatum simul Aurum ex Aquâ Regis secum rapit. Ac licet Cuprum Mineræ Argenti adfuerit, simul cum Argento per Aquam fortem extractum, ipsi tamen operationi neutiquam est impedimento. Nam Argentum & Aurum petunt fundum, atque Cuprum retinetur ab Aqua Regis, ad novam operationem postmodum adhibenda, & quidem toties, quoties alicui libuerit. Cuprum ex Aquâ Regis ferri lamellis impositis recuperatur, quæ operatio Aquam Regis rubram reddit, & ad similes labores prorsus ineptam. Ideò tum

Spiri-

Spirituale ferrum aliquid ex plumbo ad gradum Auri promovet, atque ita toties usurpata Aqua Regis iterum utilis redditur.

XLI. *Modus adhuc longè facilior, sine fusione, per Ignem, Aurum & Argentum, ex pauperibus Mineris, Arenâ, Argillâ, aliisque similibus Mineralibus, copiosè extrahendi.*

TOsta & per molam comminuta Minera, Argillâ, &c. fugax, aut fixum Aurum continente luto munitam vitream, aut ex optimâ terrâ factam cucurbitam, usque ad dimidiam partem, reple, ac sequentis menstrui materiæ isti affunde tantum, ut probè humectetur. Ut primum autem menstruum illud affunditur, mox fumum reddere incipit; unde omninò necesse est, ut Alembicum cucurbitæ statim imponas, quæ Arenæ in cupella est immittenda, ut omnis humiditas distillando eliciatur, & durante distillatione Aurum solvatur, solvens verò ipsum in vase recipiente collectum, quod Aquæ Regis vires habet, denuò ad usum adhibeatur, sicuti mox dicetur. Postquam tota humiditas egressa est, frigefactam cucurbitam ex arenâ exime, & aliquantum aquæ affunde Materiæ, ut mollescat, & Sal extrahatur, in quo Aurum delitescit, quod minerâ continebatur. Coagula hoc lixivium Auro plenum, in rubrum salem, qui addito Lithargyrio in talibus crucibulis lique-

liquefaciendus est, quæ non rumpuntur. Lithargyrium ex Sale Aurum attrahit, separandum à plumbo, ea ratione quæ in sequentibus monstrabitur.

XLII. *Præparatio Aquæ, ad Auri Extractionem necessaria.*

℞.

Hanc parvarum impensarum aquam, quam copiosam sine molestiâ parabis, mineris affunde, eamque per distillationem rursus semove, denuo ad novos labores usurpandam, ut novam rursus parare non sit opus, quia hæc non modo semper efficax manet, sed etiam in quavis operatione augetur, ita ut in infinitum Mineras extrahere possis, si modò unam libram ab initio paraveris.

NB. Hoc pacto omne Aurum, quantumvis paucum, ex omnibus silicibus, quavis Arenâ, aliisque mineralibus, absque ullis sumptibus, si ignem excipias, copiosè extrahitur.

XLIII. *Alia ad extrahendum Argentum Aqua.*

℞.

Hæc Aqua extrahit Argentum ex Mineris Argenti pauperibus, Arenâ, & Lapidibus ejusque operatio præcedentem imitatur, augmentumque est simile, prioris Aquæ incremento; ita ut hoc modo Argentum ex Mineris pauperibus copiosè eliciatur, ac præter Ignem nulli alii sumptus requirantur.

NB. Loco potest sumi, cum in Extractione Auri & Argenti idem præstet, quod præstat.

XLIV. *Alius modus facilis Aurum & Argentum ex pauperibus Mineris copiosè extrahendi, paucorum, aut ferè nullorum sumptuum.*

Mineram requisitis aquis misce, iisdem reple ex bonâ terrâ, impone sibi invicem in magna , immitte , & distilla Spiritus, qui omnes impensas reddunt, & Aurum atque Argentum absque ullis sumptibus suppeditant, quod per Plumbum est recipiendum.

XLV.

XLV. *Aurum & Argentum ex Mineris eliciendi, alia ratio facilior.*

MIneram requiſitis Aquis miſce, ac ſenſim eam humecta, totam injice in

Spiritus exeunt in vas recipiens, ac inter diſtillandum à ſolvente illo Aurum & Argentum ſolvuntur, quæ extracta manent apud

& per aquam ex Minera eluuntur; ita ut ſine ſumptibus acquirantur, & Spiritus in recipiente vaſe collecti omnes impenſas compenſent.

XLVI. *Ex pingui Argillâ copiosè Aurum & Argentum eruendi Operatio facilis.*

QUamvis moleſta operatione, per humidas Aquas, Aurum, & Argentum ex Mineris extrahatur, ſicut in principio docuimus, ejuſmodi tamen Extractio haud parum emolumenti affert, quia præcipitando ab aquis liberari poſſunt, & ipſæ Aquæ Sali petræ conficiendo inſerviunt. Cum pingui Argillâ autem aliter comparatum eſt, quia Spiritus in pinguem terram irrepit, & vix dimidia pars recipitur, niſi terra candefaciendo prius pinguedine ſuâ orbetur, id quod peculiarem ſuum laborem etiam poſtulat.

Quan-

Quandoquidem igitur in omnibus Mundi locis, ubicunque terra reperitur, ejusmodi Aurum & Argentum continentes pingues Argillæ se ipsas copiosè offerunt, & nemo hactenus repertus est, qui ad usum eas revocare conatus fuerit, præcipuè quando parum Auri, aut Argenti continentes, in plumbum erogatas impensas; reddere nequiverunt; non potui quin aperirem modum admodum facilem; illud haud parvo cum emolumento præstandi, qui sequenti labore perficitur.

Misce talem terram Aurum aut Argentum continentem cum aut ex eo majore, & sensim immitte in meum Primum aut Secundum Furnum Distillatorium, ac Spiritus distillando elice, ut solutum Aurum aut Argentum in maneat; Ex comminuto per molam calidâ aquâ eluitur, & per plumbum reducitur, sicuti anteà monstratum est.

XLVII. *Quomodo artis ope Aurum ex Granatorum, Agatharum, Saphirorum; & Rubinorum arenâ, aliisque lapidosis terris mineralibus, neque fusionem, neque plumbum, neque acres Aquas admittentibus, facilè & copiosè eliciendum sit.*

Certum est, quod Granati omnes, rubri, nigri, cinerei, fusci, cujuscunque etiam co-

coloris sint, aut ubicunque reperiantur, sive in rivis & fluminibus, sive in arenâ, aut pingui terrâ, sive in excelsis scopulis, semper multum Auri contineant, sed propter naturam suam vitream, Aquis fortibus domari, & propter difficillimam fusionem, à Saturno coqui & fundi non possint. Eâ de causâ hactenus Auro suo, neminem alicujus emolumenti participem reddiderunt, & ut inutiles terræ Minerales, repudiati sunt, cum tamen exiguo labore tractati, multum Auri subministrare queant. Quærat igitur aliquis; quia neque plumbo, neque Aquis fortibus domari possunt, quid consilii capiendum sit, ut ex illorum visceribus Aurum eruatur. Respondeo.

& etiam fusili

possunt ita vinci, ut Aurum, quod habent, ipsis subtrahatur, & emolumentum afferat. Nam ad ,

quia ignem ferre possunt, duplici labore defunguntur, uno per acrimoniam suam, & altero propter ignem fortem, adeò ut nihil à tantis viribus tutum sit, sed omnia tantæ violentiæ cedere cogantur. Hinc libenter posteà plumbi Salem ingrediuntur, & inter liquandum promptè suum Aurum expromunt.

XLVIII. *Firmissima demonstratio, quod hactenus præscriptis modis acres Aquæ, & Sales, ex Mineris Aurum & Argentum continentibus, quasi sine sumptibus, plus Auri & Argenti, quam sumptuosi Ignes fusorii eliciant.*

Unicuique Minerarum auriferarum mediocri saltem cognitione imbuto, haud ignotum est, sine plumbi, aut aliarum rerum fusilium additione Aurum ex ipsis neutiquam eliquari posse. Quando igitur ipsis parum Auri inest, & nihilominus multum Plumbi, aut aliarum materiarum, facilis fusionis gratia, addendarum requiritur, quis tantis sumptibus ferendis par erit? Hinc factum est, ut inopes ejusmodi mineræ, nihil utilitatis in commune conferre potuerint.

Posito etiam, tantum Auri & Argenti inesse Mineris, ut ignis & fusionis sumptus ferre, & Aurum & Argentum cum utilitate subministrare possint: Vix tamen ejusmodi operationes ad mea inventa, Aquis & Sale utentia, se habent, ut Aqua ad Vinum, aut Nox ad Diem. Primo enim fusio sumptibus suis extractionem, quæ per Salem & Aquas perficitur, longè superat. Deinde fieri nunquam potest, ut fusio omne Aurum & Argentum ex Mineris expellat, & aliquid in scoriis non relinquat. Posteà quoque omnis Auri & Argenti fugacis fit jactura, quæ à for-

fortissimo igne disjiciuntur, & in auras abiguntur. E contrario ex amplioribus, & opulentioribus commodis, quæ Auri & Argenti ex Mineris extractio abundè affert, hoc non est postremum, quod non solum omne Aurum & Argentum fixum, sine ullo detrimento, extrahatur; sed etiam illa duo Metalla adhuc fugacia simul attrahantur, & fixa atque in igne constantia reddantur, cùm tamen ab ignis fusorii vehementiâ penitus dissipentur, & in nihilum redigantur. Etenim Salium Aquæ figunt Auri & Argenti fugitivos Spiritus, qui per follium flatus vehementes adhuc longè fugaciores redduntur, ut ita fusionis ope ægrè dimidia ejus Auri pars acquiratur, quod extractio per Aquas Salium offert. Huc accedit, quòd non modò omne Argentum & Aurum, tam fugitivum quàm fixum, sine omni jacturâ conquiratur, sed etiam carbonum sumptus longè minores sint, ac unus operarius in hac Auri & Argenti extractione tantum præstet, quantum in fusionis labore tres non præstabunt.

Hinc facilè est videre, quantum utilitatis & fructus, in omnibus Germaniæ locis, ex inventione hac meâ præstantissimâ percipi posset. Extractio enim hæc non solum idonea est ad eliciendum Aurum & Argentum, tam ex divitibus, quàm ex inopibus Mineris, sed etiam Aurum & Argentum eripit cunctis silicibus colore aliquo tinctis, quibus omnes rivi, fluvii, & campi re-

pleti ſunt. Poſſent hæc, quæ dico, multis offendiculo eſſe, ideò forſan dicturis; quonam pacto fieri queat, ut ex vulgaribus ejuſmodi lapidibus, ad ſternendas plateas duntaxat aptis, Aurum & Argentum eruatur? His reſpondeo; Rarò quidem Aurum & Argentum fixum ac conſtans in ejuſmodi ſilicibus coloratis inveniri, ſed tamen eas ſemper ſpirituali, fugace, & immaturo Auro & Argento præditas eſſe, quæ Salia extrahendo non ſolum fixa & conſtantia reddunt, verum etiam gradum Auri conciliant aliquantulæ parti ex Saturno, qui in fuſione, & ſeparatione additur. Proinde in omnibus terræ locis, ubicunque lapides ſe in conſpectum dant, abſque multo labore, & ſumptu, cum magno emolumento, quis boni Auri, & Argenti particeps reddi poteſt, pro quâ Inventione præclariſſimâ Deo omnium bonorum datori ſit laus & gloria ſempiterna, *Amen*.

SEQUUN-

SEQUUNTUR JAM PARticulares aliquot Transmutationes imperfectorum Metallorum in perfectiora, per ignem vulgarem, & Salem crudum, ac non vulgarem, concentratum, & humidum Ignem Salis.

XLIX. *Fundamentalis & evidens demonstratio, quod vera Metallorum Transmutatio in omnibus Terræ locis, ubicunque homines habitare possunt, imò in minimis etiam Rusticorum casis, & quidem iisdem materiis, & vasis, quæ in ipsis reperiuntur, exerceri possit.*

IN præcedentibus dissertationibus satis evidenter demonstratum est, quod Metallorum transmutatio per Salem & Ignem fieri debeat. Quia igitur absque Sale & Igne nulli homini vitam degere licet, & hæc duo ad Metallorum transmutationem pertinentia requisita, ubique locorum in promptu sunt, necessariò sequitur, & Metallorum transmutationem in omnibus locis, ubicunque etiam mortales domicilia sua fixerunt, perfici posse.

Tam notum est, quàm quod notissimum, quod vel pauperrimus, & vilissimus rusticus nec igne, nec sale, nec vasis terreis, ad coquendos

cibos necessariis, carere possit. Sale igitur instructo, facilè aheni alicujus veteris frustum cupreum suppetet, quod per Ignem & Salem in melius & nobilius corpus transmutare ipsi integrum erit.

Quia autem homo longè meliorem, & ad transmutationem Metallorum commodiorem Salem penes se habet, qui Sali communi bonitate suâ antecellit, jure ac merito proprium suum Salem quàm alienum usurpat, idque hoc pacto.

Coque tuam, aut alterius hominis Urinam ad mellis consistentiam, in quâ decoctione omnis inutilis Urinæ humiditas per exhalationem abit, & Sal ipsius in aheno, aut ollâ remanet. Huic condensatæ Urinæ admisce tantum calcis vivæ, aut cinerum ex lignis combustis, ut in crassam massam abeat. In promptu autem debent esse laminæ cupreæ in frusta dissectæ, & candefaciendo purgatæ, cum ollâ terreâ operculum suum habente, cui massa illa Urinæ & calcis vivæ, cum laminis cupreis imponatur. Cuncta hæc ubi in promptu habueris, Urinam, uti dictum est, calce aut cineribus misce, atque hac mixturâ ollam tuam, ad trium aut quatuor digitorum transversorum altitudinem reple, super quam materiam collocabis aliquot cupri laminas, his ipsis aliam materiam rursus imponendo, atque ita his stratis collocandis pergendo, donec totam ollam impleveris. Hanc operculo

suo

ſuo teges, & hoc ipſum chartâ, farinâ, & aquâ probè munies, ut nullus omninò vapor exire queat. Nam quamprimum calx viva Urinæ condenſatæ miſcetur, propriâ ſuâ efficaciâ Urinæ Spiritus operari incipit, ac proinde neceſſarium eſt, ut operculum mox ollæ imponatur, & debito luto muniatur, quamprimum ſtratis illis impleta fuerit. Ollam alicubi repone, & per dimidium annum quietam relinque, quo tempore Spiritus Urinæ à calce vivâ excitatus, in cuprum vires ſuas exerit, & in altiorem gradum illud exaltat, ut colore ex cœruleo & viridi miſto tingatur, & ad artem pictoriam aptum reddatur, cujus una libra pluris æſtimanda eſt, quàm 2. aut 3. libræ cupri, cujus una libra, hujus coloris ut plurimum libram unam cum 8, aut 10. lotonibus tradit, atque ita utilem tranſmutationem cupri exhibet.

L. *Quomodo ex hoc Cupri colore partim viridi, partim cœruleo, Aurum & Argentum ſeparandum ſit.*

QUi ex hoc colore Aurum & Argentum, quorum non magnæ maſſæ acquiruntur, ſed tantum duntaxat, quo rem fieri poſſe dèmonſtratur, ſeparare cupit, ſequenti operatione utatur oportet.

Primo in colore ex ollâ eximendo probè cavendum eſt, ne quid ex Urinæ & calcis maſsâ pul-

chro iſti colori miſceatur, & eum impurum reddat. Laminæ exemptæ crebrò ſurſum ac deorſum curvandæ, & movendæ ſunt, ut color ſquamarum inſtar à laminis decidat. Reſiduum cuprum quod nondum in colorem converſum eſt, ad novum laborem eodem modo iterandum reſervatur. Colori affunditur acetum vini, aut acida aqua Tartari, poſt diſtillationem vini aduſti ex fecibus cum aqua per decoctionem extracta, & in aheno cupreo, aut ollâ terreâ vitreatâ tamdiu coquitur, donec omnis color ſolutus fuerit. Solutione in Filtrum immiſsâ, acetum, ſive aqua Tartari ſola tranſit, relicto pulvere ſubrufo in Filtro, qui cum plumbo in cupellâ fuſus, poſt plumbi exhalationem, Auri granum relinquit. Nam Urinæ Spiritus aliquid ex cupro in Aurum maturavit, quod acetum, aut Tartari aqua non ſolvit, ſed relinquit, ſolum cuprum ſolutione attrahens. Ac quia eadem hâc operatione aliquid Argenti in cupro maturatur, atque cum cupro ab aceto, aut aquâ Tartari ſolvitur, aquæ Tartari aut aceto aliquid Salis communis adjiciendum eſt, ut Argentum ab iiſdem non ſolvatur, ſed apud Calcem Auri maneat, & cum eodem retineri poſſit.

NB. Ad hunc laborem aſſumi debet purum, & clarum acetum, ſi color illæſus conſervari debet. Nam poſt aliquam aceti portionem, evaporationis ope ablatam, viridis color cupri in pul-

pulchros lapillos virides concrescit, quorum libra pluris æstimanda est, quam 5. aut 6. libræ æris viridis, quod in officinis venale prostat. Artificiosa igitur hæc Operatio pulchrum, & crystallinum Vitriolum Veneris, & Auri atque Argenti aliquantulum offert: Cujus licet tanta non sit copia, ut emolumentum afferat, rei tamen possibilitatem exhibet, & docet, veram Metallorum transmutationem, in quovis tuguriolo, à quovis rustico exerceri posse. Si quis autem Urinam collegerit, & ex eâ volatilem ipsius Spiritum Salis per distillationem elicuerit, longè profundius cupri cor penetrabit ac plus Auri atque Argenti consequetur, quàm modò dicto labore rustico acquiri potest, quâ de re in aliis Scriptorum meorum locis plura inveniuntur.

L I. *Quo pacto ex quovis Cupro purum Aurum elici possit.*

IN omni cupro Spirituale Aurum occultum latet, quod in separationis labore, per plumbum in cuppellâ, non animadvertitur. Hoc ipsum autem nihil aliud est nisi color cupri, corpori suo adeò firmiter adhærens, ut inde separatu admodum difficilis existat. Operatio tamen ritè instituta, licet quæstuosa non sit, rei tamen possibilitatem demonstrat, cujus experiundæ causa, num scilicet omni cupro Aurum insit, sequenti ratione laborandum erit.

Cuprum in Aqua Regis ſolve, & ſolutioni aquæ multum affunde, ut per hanc cuprum ſolutum latè diffundatur. Huic ſolutioni per aquam diffuſæ, plumbum in Aquâ forti ſolutum infunde, ita ut unus, aut duo plumbi lotones uni libræ cupri reſpondeant. Quotieſcunque autem plumbum in fundo conſederit, motu toties iterato facies, ut ſolutiones probè commiſceantur, & plumbum aliquid Auri attrahat, & ſecum ad fundum rapiat, quod exſiccatum, & in cupellâ ſeparatum Auri granulum relinquet, non emolumenti argumentum, ſed poſſibilitatis indicium, quod omni cupro Aurum ineſſe teſtatur. Si quid verò commodi percipiendum eſſet, cuprum accipiendum, quod jam in Vitriolum mutatum eſt. Inter Vitriola autem excellunt Hungarica, Cyprica, Indica, Japonica, & alia ſimilia, quæ in fodinis cupri auriferi occurrunt, & ſequenti ratione tractantur.

LII. *Ex Vitriolo naturale Aurum extrahendi modus.*

COmmuni aquâ Vitriolum ſolve, ſolutoque affunde parum plumbi ſoluti, ac crebris motibus utramque ſolutionem agita, ut plumbum ex Vitriolo attrahat Aurum, ſiccandum & per cupellam ſeparandum, quod inſtar grani remanebit, majoris aut minoris, prout Vitriolum ejuſdem plus vel minus continebit. Ex Aquâ Vitrio-

Vitriolatâ, ex quâ Aurum evocatum eſt, rurſus Vitriolum conficies, eam tamdiu coquendo, & evaporando, donec cuticulam contraxerit, quæ frigori tunc expoſita, in Cryſtallos Vitriolatas concreſcet. Sed hæc operatio plus utilitatis confert, ſi Vitriolum non jam in Stirias excoctum, ſed ſolummodo ex minerâ ſuâ in aquam extractum ſumatur, & poſt Auri extractionem, demum in Vitriolum excoquatur.

Sed ne cui hæc ex Vitriolo Auri expiſcatio mira videatur, modum monſtrabimus, quo ex aquâ marinâ, aut Sale marino, ſolutione plumbi adjuvante, Aurum erui queat: Modus eſt, ut ſequitur.

LIII. *Quomodo ex Sale Marino, vel Aquâ Marinâ Aurum ſit eliciendum, non quidem cum emolumento, ſed ut duntaxat demonſtretur, etiam Aquâ Marinâ aut Sale Marino Aurum occultari.*

AHenum cuprum grande Aqua marina reple, eique parum ſoluti plumbi affunde, quod fundum petens, quia Salem perpeti nequit, mox in album pulverem præcipitatur. Aquam in aheno frequenter move, & agita, ut plumbi ſolutio ubique aquam marinam attingere poſſit. Hac actione Spirituale Aurum pulveri plumbeo adhæret, & cum eo fundum petit, qui pulvis aqua communi ſale ſuo liberatus, exſiccatus, & in

in cupellâ liquefactus, Auri granulum reliquum facit.

NB. Ad hanc piscationem Argentum plumbo magis idoneum est.

LIV. *Quomodo ex pauperibus Cupri Mineris, ex quibus vulgariter nullum commodum percipi potest, Cuprum, ut & ipsum Aurum, si adfuerit, facilè & sine sumptibus extrahendum & separandum sit.*

CUpri Minera glareosa, aut sulphurea, usque ad Sulphuris consumptionem torrenda est; quia sulphureas materias aquæ acres non adoriuntur. Tostâ & in pulverem comminutâ minerâ cucurbitam reple, & eidem affunde nostrum solvens Secretum, quod supra apud minerarum extractionem docui. Abstrahendo totum solvens, & quidem haud sine incremento recuperatur. Cuprum verò & Argentum soluta in Sale hærent, qui post abstractionem in Minerâ remansit, & aquâ eluendus est, ex quâ aquâ, quæ salem illum hausit, per plumbi, aut Argenti solutionem, Aurum eo contentum, elici potest. Si autem eadem aqua decoquatur, donec cuticulam acquirat, in viride Vitriolum concrescet, frigori expositum. Cuprum verò ipsum ex Aquâ illâ salsâ eximendi causâ, ferreæ virgæ imponuntur, quæ cuprum attrahunt, quod ablatum, aquâ ablutum, in cuprum per fusionem liquatur, aut

ad

ad alios usus adhibetur. Quia enim tenero, & limato pulveri simile est, facili negotio in æs viride mutatur, modo, qui mox sequetur.

LV. *Quomodo Aurum per Ignem & Salem facili negotio ex Cupro separetur.*

SI Aurum cum cupri massâ mixtum fuerit, igne candefaciente omne cuprum in cinerem redigendum est: Cinis autem nostro Arcano Aceto, quod omisso Auro, solum cuprum solvit, perfunditur, & decoctione cuprum solvitur, quod Aurum contentum relinquit, instar splendentis pulveris, exsiccandi, & cum Borace liquefaciendi, ex quo Aurum 23 Caratorum prodit. Acetum illud nostrum secretum omne cuprum calci Aureæ subtrahit. Cuprum per impositas virgas ferreas, ut in præcedente modo docuimus, ab Aceto segregatur.

LVI. *Quomodo Cuprum ex Aquâ Vitriolatâ extractum, & Virgis ferreis adhærens, in æs viride sit mutandum.*

CUprum hoc purum fortissimo aceto humectari, & terreis ollis imponi potest, quæ operculis suis luto probè munitis tectæ, in fimo equino collocandæ, & ad tempus in eo relinquendæ sunt, ita tamen, ut fimetum quandoque renovetur. Omne cuprum brevi tem-

tempore in æs viride mutatur, & quidem longè purius eo, quod in officinis venale proſtat, & in Hiſpaniâ per uvarum ſiliquas, aut racemos expreſſos conficitur.

NB. In extrahenda ex Mineris cupro, habenda ratio eſt hujus rei, nimirum, quod interdum pauperibus & feris cupri Mineris, aut venis etiam lapis Calaminaris, aut Zincum admixtum inveniatur, quod in iis nullo modo animadvertitur. Si autem Mineræ illæ Aquâ Regis extrahuntur, & hæc per diſtillationem auferenda eſt, nulla Aqua Regis egreditur, ſed inſipidum duntaxat phlegma, eo quod lapis Calaminaris, aut Zincum omnem acrimoniam ſecum retinet, perinde ac ſi hæc mineralia duo Aquæ Regis dicerent; Te nondum dimittimus, utpote quibus adhuc tuâ operâ ad emendationem noſtram opus eſt, &c. Certum autem eſt, quod quæcunque Mineralia, & quæcunque Metalla acres Spiritus ſecum retinent, adhuc immatura ſint, & per ejuſmodi Spiritus maturari queant, ut Aurum & Argentum largiantur, ſicuti jam dictum eſt, & adhuc prolixius dicetur.

LVII. *Ex feris Plumbi Mineris, aut venis, nullam liquefactionem admittentibus, ex quibus non vulgari ratione bonum plumbum, multò minus Aurum aut Argentum expromi possunt, cum utilitate non modò Plumbum, sed etiam Aurum & Argentum elicere.*

SIcut supra diximus, quod nonnullæ Mineræ, aut cupri venæ in fodinis se offerant, quæ ob adjunctum lapidem Calaminarem, aut Zincum omnem liquefactionem respuunt, & nullo Igne domari possunt. Sic etiam hîc monemus, Plumbi Mineras reperiri, quæ multum Plumbi quidem continent, sed propter lapidem Calaminarem, Zincum, & admixtam Glaream Sulphuream, nullâ liquefactione vinci possunt. Nam hæ materiæ Plumbo facilem fluxum adimunt, & faciunt, ut ejusmodi Mineræ, ut plurimum juxtà cum Plumbo, etiam haud parum Auri, & Argenti occultantes, tanquam penitus ineptæ, & inutiles abjiciantur, cum tamen plurimum ex ipsis commodi perciperetur hoc modo.

Minera tundendo in parvula frusta comminuatur, & in parvâ meâ Fornace Secretâ, quam torrendis mineris aptavi, candentibus carbonibus torreatur, ut crassum Sulphur flammam concipiat, & conflagret. Si inter operandum materia se conglomeraret, & conglobando globulos efficeret, ex fornace exempta denuo tundatur,

datur, prunis imponatur, ac torreatur, laboribus his toties repetitis, donec omne Sulphur consumptum fuerit, & Minera non amplius se conglomeret, sed instar mortui cineris candefacta nullum amplius fœtorem sulphureum emittat. Tandem ex cinere hoc abluto, mortua & inutilis materia, à bonâ & metallicâ terrâ, se segregat, quæ in Fornace, Germanis Stichofen vocatâ, per se liquefacta fusile plumbum evadit; quod Aurum & Argentum continet.

Si autem Minera adeò fera esset, ut omnem prorsus liquefactionem respuens, per se reduci non posset, & nihilominus Aurum & Argentum contineret, terræ illi Metallicæ aliquid Lithargyrii addendum esset, quod ipsi fluxum conciliat, & plumbum illud Auriferum & Argentiferum largitur, quod per vulgarem illam operationem se offerre penitus recusat.

LVIII. *Alia via docens ope Salis & Ignis, cum emolumento magno, Argentum & Aurum educere, ex omnibus feris & indomitis terris metallicis, in quarum venis ut plurimum plumbum, Cuprum, Glarea, Ferrum, aut lapis Calaminaris in societatem coiverunt, & vulgaribus operationibus omnem utilitatem negant.*

SIcut Ignis omne crassum, & combustibile Sulphur in Mineris comburit, ut tandem hæ liquefactioni se subjiciant, & ductilia Metalla

talla reddant: Ita etiam Sal figit, & constans reddit, quicquid fugax in aërem evolare nititur, ut maturatum, & liquefactum utile Metallum suppeditet. Eam ob causam ejusmodi Mineræ, addito Sale communi, sicuti suprà dictum est, in prunis torrendæ sunt, ut rapax illud Sulphur crassum conflagrando evanescat, & simul etiam Metallum ipsum ad maturitatem promoveatur, atque ita ex hoc ipso bonum Aurum & Argentum separetur, cum tamen aliàs ne minimum quidem ex his ipsis mineris quis consequuturus esset. Talis imperfectiorum Metallorum in perfectiora emendatio & mutatio, Salis & Ignis adjumento, acquiri potest. Si igitur communis Sal, & crassus Ignis hoc in Metallis effectui dare valent, quid non efficient non vulgares illi, sed Arcani Ignes Salium, in Metallis jam puris, in puriora & subtiliora transmutandis?

LIX. *Quomodo Metalla per puros Ignes, seu Igneos Spiritus Salium emendanda sint.*

PAlpari manibus potest, si crassus Sal, & Ignis aliquid boni crassioribus Metallis conferre possunt, quod etiam purior Ignis & Sal purioribus Metallis plus commodi allaturi sint. Instrumenta, quorum acies acuendo acutiores

redditæ ſunt, ad operandum longè aptiora exiſtunt, quàm ea quæ hebetiore acie prædita minus præſtant. Quantò terebra eſt acutior, tantò citius lignum perforat, & quo hebetior è contrario exiſtit, eo ægrius illud perterebrat. Qui in Metallorum emendatione boni quid conſequendi avidus eſt, ſubtiles & fortes Salium Ignes adhibeat neceſſe eſt, ut iiſdem Metalla deſtruat, occidat, & ad priſtinam vitam reducat, atque ita nobiliora ipſis corpora conciliet. Quando humidis & frigidis illis Salium Ignibus priſtinum ſuum corpus redditur, ut nimirum ad formam Salis, ſed nobilioris & ſubtilioris redeant, iiſdem Metalla longè velocius deſtrui, occidi, & ad vitam revocari poſſunt, quia duplex ignis ſimplice plus præſtat. Cum igitur Sal per ſe nihil aliud ſit, niſi merus, & concentratus ignis, ac lignorum aut carbonum ignis ſe cum ipſo conjungat, omninò major ab ipſis efficacia exſpectetur oportet, quàm à ſolo igne communi. Talium autem operationum hactenus mentionem fecimus, ideò non neceſſariarum, quæ hîc repetantur. Unicuique Chymico ex hactenus dictis decerpere licebit, & diſcere ea, quæ Metallorum emendationem, Salis & Ignis adjumento egentem, concernunt. Plura Deo volente ſequentur.

LX. *Altius jam aſcendamus & demonſtremus, quàm incredibilia miracula, noſtri Arcani Ignes Salium, apud Magnum illud Philoſophorum Opus edant.*

SIcut in præcedentibus ſatis ſuperque ſtabilitum eſt, quod immatura Metalla, Ignis, & Salis adminiculo, ad perfectiorem maturitatem promoveri particulariter poſſint: Ita etiam in Animalium & Vegetabilium multiplicatione illud evidenter apparet, nimirum ſi infanti alicui cibus & potus ſufficiens exhibeatur, quod indies magnitudine & viribus corporis accreſcat, donec ad perfectionem, & virilem ſuam ætatem perveniat. Eadem Multiplicatio in Vegetabilibus conſpectui ſe offert, in quibus parvulum ſemen, aut exigua radix ex Sale terreſtri, & radiis Solaribus nutrimentum ſuum arripiunt, & in perfectam, grandem, ac fertilem arborem exſurgunt. Particularis hæc tranſmutatio unicuique ante oculos verſatur, ac proinde notiſſima eſt. Quo pacto autem nobiliſſima pars, ſive puriſſima eſſentia ex Vegetabilium Mineralium, & Animalium corporibus extrahenda ſit, ut eadem alia debiliora corpora roborentur, & emendentur, Philoſophi ſemper ſtudio ſummo abſcondiderunt, & occuluerunt. Hinc pauci admodum fuêre, & adhuc rari ſunt, qui ſummæ hujus ſcientiæ notitiam habuêre, & habent. Rabula-

rum verò ubique magna est affluentia, qui ore quidem centurias artium effutiunt, & re ipsâ ne minimum quidem præstare noverunt, ut ex garrulitate vanâ I. H. S. liquidò apparet. Unde res eò progressa est, ut ferè nemo credere voluerit, veram Metallorum transmutationem in rerum natura existère.

Quantum igitur ad Philosophorum opus magnum attinet, omnes Philosophi unanimiter in suis Scriptis asserunt, quod in omnibus meis Scriptis etiam verissimum affirmo, & quasi digitis ostendo, nihil videlicet in rerum naturâ tincturam efficere, & gratissimi coloris picturâ tingere, nisi solum & unicum Sulphur, atque hoc idem combustibile, immaturum, & fugax, Salium operatione, & ope in veram tincturam figi & mutari, quod tam certum est, quàm quod certissimum, & tamen etiam laboriosum, ac spacium temporis satis longum requirens, præcipuè si viam humidam quis insistat. Ad talis operis finem perveniendi via, ut opinor, aliorum tamen judicio salvo, hæc esset optima, si quis ejusmodi Sulphur deligeret, quod à naturâ ad perfectam maturitatem jam esset perductum, & hoc commodi secum ferret, ut ad sui maturitatem longius tempus non requireret.

Tale autem Sulphur fixum, & tingens nullibi propius quàm in Metallis, ac præcipuè cupro, & ferro, melius autem & purius in Auro reperitur, cujus

cujus tamen inventio, propter firmissimam & intimam conjunctionem cum corpore suo, ut & separatio ferè impossibilis semper æstimata est. Nam indagatoribus ut plurimum verus separator, qui puriorem ab impuriore parte segregaret, ubique desuit. Nam, uti notum est, durum & compactum corpus ejusmodi Metallicum difficulter admodum segregari, ac in suas partes dividi potest. Acrium Aquarum solutio omne quidem Metallum absorbet, sed nullam separationem efficit. Quia enim Metalla homogenea sunt, & Metallicum Sulphur suo Mercurio Metallico per Metallici Salis vinculum adeò arctè devinctum est, fieri nunquam potest, ut ex talibus solutionibus, sive per præcipitationes, sive per alias vias, una pars ab altera sejungatur. Si ex Aquâ Metallum solutum præcipitatur, omnes partes ita mixtæ, sicut ante solutionem fuerunt, rursus excidunt, & nullam separationem admittunt. Si Metalla verò quis simul Spiritualia reddere vellet, ut ita per distillationem puriores partes ab impurioribus disjungerentur, nulla tamen fit sejunctio, sed ipsum corpus purius ascendit, ac iterum, ut antè, tribus suis principiis constat, plus quidem in Alchymià & Medicinâ præstans, quàm crassiora Metallorum corpora, sed ad veram tincturam ineptum, quoniam in omnibus corporibus nihil operatur, nisi viva, & alia

corpora mortua vivificans anima. Nam Spiritus est, ut Christus ipse ait, qui vivificat; Corpus inutile est. Exemplo sit homo, aut aliud aliquod animal, quod tamdiu vivit, se movet, & operatur, quamdiu Spiritus, vitæ Author, ipsi adest: Eo autem evanescente, corpus omni motu caret, & cadaver existit. Si jam fieri posset, ut tales Spiritus animales caperemus, & corporales redderemus, iisdem incredibilia quoque præstituri essemus, & forsan ex terræ glebâ vivum animal efficturi, quod tamen Deus sibi ipsi reservavit. Hoc autem benignus ille Pater nobis concessit, ut ex immobilibus aut vitâ mobili & animali carentibus subjectis, puras animas sive essentias extrahamus & corporales reddamus, atque iis in Medicinâ & Alchymiâ magni momenti res efficiamus. Excellunt autem in his Metallicæ Animæ, quæ Vegetabilium essentiis fixiores quidem, & constantiores sunt, sed longè difficilius acquiruntur. Vegetabilium enim animæ se extrahi facilius patiuntur; Metallorum verò colores, & animæ extractionem ægrè admittunt, atque eam ob causam ab ignorantium turbâ pro tali re habentur, quæ nullo unquam tempore fieri possit. Nec etiam immeritò, quoniam Tingentis Animæ separatio à corpore Metallico duro magni momenti res est. Multiplices hujus Sulphuris acquirendi viæ quæsitæ sunt, & de ejusdem acquisitione nonnulli Fratres Ignorantiæ, & Calumniatores libros ediderunt,

cum tamen nunquam tale Sulphur apud eos visum esse constet.

Doctissimus, & sagacissimus Helmontius egregiè quidem de hoc Sulphure scripsit, non tamen tam dilucidè, ut aliquis ex iisdem scriptis ejus cognitionem aliquam perfectam haurire posset. Non etiam consultum est, ut ejusmodi Margaritæ talium porcorum pedibus subjiciantur. Quantum mihi quidem notum est, nullus Scriptor de hac materiâ clarius quid memoriæ prodidit, quàm Isaacus Hollandus in capite de Amausis, ubi docet, eum in Metallicis rebus magnum quiddam consecutum esse, qui Metalla in pellucida vitra cum coloribus suis mutandi artem acquisivit. Similitudine ab hominum corporibus, ad claritatem post hanc vitam deductis, petitâ, doctrinam suam declarat, & dicit. Animæ Metallorum ex suis Amausis sive corporibus clarificatis, & suis coloribus obductis elucent, quemadmodum animæ hominum in altero Mundo ex suis clarificatis corporibus olim elucebunt. Porrò; Si, inquit, tales Amausæ suis corporibus pristinis redduntur, Amausæ cupri & ferri fixæ existunt, & ex Argento Aurum, atque ex Auro Tinctura evadit. Modum hoc efficiendi Author dictus clarè non exprimit, sed meâ opinione, nemini tamen aliquid præscribente, hæc proxima ad talem operationem perveniendi via esset, ut Metallorum Animæ, sive pura Sulphura acquirerentur; Si videlicet Me-

talla primò in Amaufas, five pellucida vitra converterentur, ex quibus Animæ ipforum extractu faciliores funt, quam ex ipforum craffis corporibus. Ad hanc tamen extractionem menftruum ejufmodi requiritur, quod totum corpus ipfum non aggrediatur, aut folvat, fed colorem, & puriffimum Sulphur folummodo ex ipfo attrahat, atque ipfum corpus album relinquat. Sed ubi tale menftruum defcriptum reperimus? apud neminem apertè, fed apud plures obfcurè, quod etiam non neceffe eft, ut tanquam maximi momenti Arcanum unicuique manifeftetur.

Paucis tamen & breviter hîc monendum eft, quod fimile fibi fimile attrahat, & extrahat. Si Mercuriale quid ex Metallicis maffis eliciendum erit, Mercuriale menftruum adhibeatur oportebit,cum fimile fuo fimili gaudeat. Sic fulphureæ effentiæ per fulphurea Menftrua elici volunt, & non per Mercurialia, eò quod aquæ aquis, & olea oleis fe admodum libenter affocient. Quia igitur omnes Philofophi fcribunt, quod Sulphur, five tingens Anima in ferro, & cupro Sulphuri in Auro bonitate & nobilitate refpondeat, meo judicio non neceffe effet Aurum, fed ferrum tantummodo, & cuprum eò deducere, ut pellucida vitra evadant, ex quibus colores extrahi poffent. Si verò cui liberet Aurum his præferre, & ex ipfo tincturam elicere, idem ipfi facere integrum erit, inventuro in pluribus

bus meorum Scriptorum locis manuductionem, Aurum, juxta cum aliis Metallis, in pellucida corpora transmutandi, quod maximè necessarium est. Nulla enim tinctura ex Metallis faciliori viâ extrahitur, quam si prius in pellucidas Amausas transmutantur. Menstruum autem, huic ex Metallicis corporibus extractioni Sulphurum inserviens, ita comparatum esse debet, ut corpus non solvat, sed ex eodem Sulphur solum, sive puram Animam eliciat. Talium menstruorum & ipse Paracelsus mentionem fecit, & asseruit, iisdem cœruleos Sapphiros, rubros Rubinos, & flavos Hyacinthos ita coloribus suis orbari posse, ut corpora alba solummodo retineant. Albas item Crystallos, tingentium Spirituum sulphureorum ope, variis coloribus imbui posse. Maximi momenti profectò Arcanum est, talis menstrui parandi peritiam habere, quod durissimos lapides, & densissima vitra penetrat, extrahit, & aliis itidem colores varios largitur, sine ullius corporis corruptione, fractione, & destructione, quod verum esse mihi quidem sit verisimile, sed factu adhuc est incognitum. Id quod ipse faciendo & laborando expertus sum, scribere & docere possum, videlicet, quomodo cuncta Metalla admodum facile, unum tamen altero facilius, in pulchra, pellucida, & coloribus elegantissimis induta

vitra mutentur, & ex his vitris puræ & tingentes Animæ Metallicæ extrahantur, nimirum per sulphurea, subtilia, non solventia, sed extrahentia duntaxat menstrua.

Quia autem hactenus ejusmodi menstrua, quantum mihi quidem constat, à nemine descripta sunt, & tamen tanti momenti effecta producunt, non potui, quin in veræ Philosophiæ studiosorum gratiam aliquid de ipsis patefaciam, & extractionem illam, quæ nostrorum concentratorum Spirituum Salis, aut humidorum Ignium Philosophicorum auxilio fieri debet, aliquâ ratione ostendam.

LXI. *Quomodo Igne Nitroso, & humido, subtile Sulphur Vegetabile acuendum sit, ut Metallorum Sulphur fixum, sive puram tingentem Animam extrahat.*

PRimò Vegetabilium Olea per distillationes & rectificationes crebrò iteratas ad summum puritatis & subtilitatis gradum promoveantur, ac postea per concentratum aliquem Ignem Nitrosum semel rectificentur, ut ita jam per se subtilia, Igneum vigorem, ac Metallica Sulphura adoriendi, & ex duris atque adeò arctè compactis corporibus extrahendi facultate præditum acquirant. Nam Oleum aliquod Vegetabile, quantumvis subtilissimè paratum, Metalla, multò minus ipsorum vitra ingrediendi pote-

poteſtate pollet, nec etiam vel minimum extrahit, licet longiſſimo tempore corpora talia ipſi immerſa ſint. Si verò Artificioſa Operatio ejuſmodi Oleum ſubtiliſſimis illis Spiritibus Salium exaſperaverit, & acutius ac penetrantius reddiderit, concentrati illi Spiritus Salis Sulphur introducunt, & ipſi vires ſibi ſimile attrahendi conciliant.

Ac quanquam tales Spiritus concentrati per ſe, & ſoli Metallica vitra penitus diſſolvunt, & nullam ſeparationem faciunt, imò etiam ne minimum quidem ſubſtantiæ ſulphureæ extrahunt, longè tamen aliter cum ipſis comparatum eſt, quando tales Spiritus ignei puriſſimis Oleis ſulphureis artificiosè uniti ſunt, ita ut ipſis facultatem Metalla aggrediendi, & ex iiſdem puriſſimum Sulphur extrahendi largiantur: quin etiam ut non ſolum ex Metallis, ſed etiam ex aliis rebus colores extrahendi copiam ipſis concilient. Oleis verò Vegetabilium ſubtilitatem conciliandi modum in Secunda Parte Furnorum prolixè docuimus; Nitroſum verò Ignem, qui ad hoc opus requiritur, concentrandi ratio paulò antè in hoc libello reperitur, ut ita neutiquam neceſſe ſit, repetitionibus prolixis eadem illa, quæ anteà tradita ſunt, iterare. Atque hæc mihi cognita ſunt de puriſſimâ Animâ, ex Metallicis Amauſis, ſive duris & vitreis illis ſubjectis, oleorum dicto pacto animatorum, & acutorum ope, extrahendâ: quomodo autem tale Sulphur in

tingentem Medicinam deduci queat, me, qui tantum Magistrum non profiteor, hactenus latet. Nec opus etiam est in præsentiâ, tam latâ tantarum rerum tractatione, ultra limites debitos exspaciari, cum jam nimis multa ingrato Mundo, & impiis hominibus revelaverim. Unusquisque, qui suâ referre arbitratur, ut cognitionem aliquam acquirat, ulteriori meditationi & inquisitioni incubiturus, facili negotio plura indagare poterit. Non necesse est, ut pulmentum coctum ori alicujus inseratur. Non tibi per ventos assa columba venit. Si columbis assis vesci volueris, eas prius capias, atque asses oportet, quàm arreptis vescaris. Hisce, quæ tradidi quisque velim contentus sit, nec eadem contemptui ducat, cum plus in recessu habeant, quam fronte promittunt. Ut compendio dicam, ea hîc manifestavi, quæ nunquam alius ante me in lucem produxit, nec aliud quid desideratur, quàm ut unusquisque manus adhibeat, & precibus à Deo benedictionem petat. Nam admiranda hujus menstrui adjumento tam in Medicinâ, quàm Alchymiâ, & cæteris Artibus præstari possunt, de quibus Deo volente mox plura suggeremus.

Quando quidem verò hîc corporum clarificatorum & concentratorum Spirituum mentio facta est, operæ pretium puto etiam indicare, quanam differentiâ concentrati illi Spiritus, & cla-

clarificata corpora, ut à Chymicis appellantur, inter se distent.

Clarificata igitur corpora nihil aliud sunt, quàm Ignis operatione purgata & mundata corpora. Ignis enim ultimus est omnium rerum examinator, utpote pollens eâ potestate, quâ cunctas res comburit, in cineres & pulverem redigit, atque ex cinere vitrum efficit; ultimum nimirum illud, in quod cuncta rediguntur. Si quid boni igitur alicui subjecto inest, quod Igne combustum in pellucidum vitrum per fusionem mutatur, illud in ultimâ illâ suâ essentiâ se manifestat, & splendore suo elucet, ut quisque possit cernere, quid in vitâ ipsius ante combustionem latuerit. Exempli gratiâ: Lignum, aut herbam aut animal comburendo in cineres transmuto, atque hos ipsos cineres fusionis ope in vitrum converto: Quo facto nullus color in conspectum venit, cum vitrum album existat, quia Sulphur à combustione consumptum est, & Mercurius per fumum in aërem avolavit, utpote duo principia, quæ Ignis viribus nullo pacto resistere valent. Sal autem Ignis contemptor in terrâ nullius efficaciæ remansit.

Metallo autem per Ignem in cineres converso, quanquam Sulphuris & Mercurii pars in combustione & vitrificatione in auras evanuit; potior tamen pars restitit, ob quam cau-
sam

ſam talia vitra Metallica colore tincta ſunt, ſecundum Metalli naturam, & proprietatem, quam ante ſuam combuſtionem occuluit. Exemplo rem declarabimus.

Cuprum aut ferrum ſi comburo, in cineres redigo, & fuſione in vitrum converto, cuprum ita per ſe, ſine alterius rei additione vitrum viride, & ferrum flavi coloris vitrum exhibebit. Cum additione autem aliorum colorum vitra prodibunt. Ex. gr.

Si ferro combuſto, aut Croco Martis plumbi vitrum adjungo, vitrum per fuſionem confectum flavum Hyacinthi colorem habebit. Idem Crocus Martis cum vulgari vitro ex lignorum cineribus & Sale confecto liquefactus vitrum dabit ſubviridis coloris, qui color ferro naturalis & proprius eſt. Nam prioris vitri ex ferro flavum colorem effecit plumbum, ferro in liquatione additum, quod impedivit, quo minus hoc ſuum verum, & naturalem colorem manifeſtare potuerit. Duorum colorum vitra ſimul colliquata falſos exhibent colores, ſicut ex cœruleo & flavo vitro apparet, quæ colliquata viridem colorem, tam extra Ignem, quàm in ipſo Igne oſtendunt. Hinc occaſio mihi data eſt ſcribendi, & docendi modum per vitra liquefacta indagandi, cujus generis Metallum in Minera aut Metallicâ terrâ aliquâ abditum ſit. Qui modus probandi Mineras longè melior, & celerior eſt, quam ille, qui in cupellâ per decoctionem,

nem, & exhalationem plumbi, more vulgari, solet fieri. Sic 5. 6, 8. aut 10. granis Mineræ alicujus comminutæ in pulverem, admisce unum aut alterum lotonem vitri Venetici facilis fusionis, materiamque ita mixtam, in crucibulo probè tecto, fusione in vitrum redige: Quod Metallum Minera continuerit, ejus colorem in vitro oculis subjiciet: Sic plumbum griseo, stannum albo, cuprum viridi marino, ferrum subviridi, Argentum flavo, & Aurum cœruleo colore apparebit, quorum colorum quisque sui Metalli verus & internus color existit. Aurum imitatur quidem etiam Rubinum suo colore, si alii colores ipsi fuerint additi: Interim tamen cœruleus color ipsi proprius & naturalis est, sicut Argento flavus, id quod veritati maximè est consentaneum, licet mirum videatur Ignorantibus, qui externa tantum noverunt, interna verò penitus ignorant. Colores autem Auri & Argenti melius & perfectius innotescunt, si ipsis aliquid fixi & albi Sulphuris adjungatur, quod Aurum & Argentum impedit, quo minus in fusione penitus in corpora sua reducantur. Si Auri, aut Argenti calx addito Borace liquetur, Aurum & Argentum pristinis suis corporibus redduntur, nec in vitrum, aliquo colore imbutum, abeunt. Sin verò iisdem calcibus vitrum aliquod facilis fusionis, cui parum tritarum silicum admistum fuerit, fundatur, silices suo sulphure Aurum & Argentum secum retinent, ut toto suo

cor-

corpore fusionem non admittant, sed in vitro remaneant parte ejus aliquâ, quæ internos ipsorum colores visibiles reddit, aliàs nunquam visui expositos.

NB. Si Auri & Argenti Mineræ in promptu essent, & cum vitro funderentur, ipsorum colores etiam apparerent, quia Mineris semper inest aliquod Sulphur, impediens, ne totum Metallum in corpus abeat, sed aliqua sui parte in vitro manens, suum colorem manifestet. Illud quoque hîc animadvertendum est, si fortè Minera aliqua, aut terra Metallica non unum, sed duo aut plura Metalla contineat, quod semper Metallum illud, cujus plus quàm cæterorum adest, post fusionem in vitro etiam præ cæteris eluceat. Exempli gratiâ.

Rubris Granatis, periculum facturus, 8. aut 10 granis in pulverem conversis, admisceo lotonem vitri albi Venetici probè contriti, & fundendo in vitrum muto. In hac mutatione non rubrum, sed graminei coloris vitrum admodum pulchrum exibit, & me docebit, quæ Metalla Granatis illis abscondita fuerint, nimirum cuprum & ferrum, atque hujus quidem plus quàm illius. Ac licet Auri aliquid etiam adfuerit, non tamen animadvertitur, propter ferrum, quod cupro, & Auro prædominatur, quia illud tantummodo Metallum in hac Operatione se in conspectum dat, quod cæteris copiâ suâ excellit.

Hac

Hac vitrificatione Isaacus Hollandus significare voluit, quod post hanc vitam, quando nimirum mundus igne consumptus est, ex hominum in cineres redactis corporibus, alia clarificata corpora sint emersura, talibus tincta coloribus; quales ipsorum animæ sive bonæ, sive malæ, in hac vitâ corporibus suis crassis texerunt. Quid pulchri colores aliud sunt, quàm virtutes eorum subjectorum, ex quibus splendorem suum emittunt. Quantâ gloriâ, quanto splendore illustria erunt piorum hominum corpora, quæ Rubinos, & cæteras gemmas pretiosas illustri suo splendore superabunt? Quàm obscura è contrario erunt impiorum corpora, quorum turpitudo & infamia toti mundo palàm fient.

ô Farnere, & Harprechte, quàm fœtidâ obscuritate aliquando cùm turpissimis vestris asseclis, & fugacibus illis Mineris Arsenicalibus, & veneno plenis, coram Divino tribunali apparebitis? nisi à vestrâ malitiâ recesseritis, & resipiscendo ad frugem redieritis. Tunc temporis toti mundo innotescet, quàm mendaces, & quàm proni ad calumnias spiritus in vestris corporibus habitaverint. Qualis anima in hominis in hac vitâ viventis & morientis corpore domicilium habuit, talem olim Ignis, ut Examinator cunctarum rerum ultimus, tandem manifestabit.

O homines impii, parvi igniculi tostione Sulphur fœditum, superfluum, & comburens à cordibus vestris, in hac vitâ, removete, antequam vos magnus ille Ignis deprehendat, & omni tempore malitiam illam removendi, amoto, corpora vestra, cum Sulphure illo fœtidissimo ipsis adhærente, in nigerrimas, & turpissimas scorias convertat.

Similitudo petatur à liquatione Minerarum, in quibus licet Minera Argenti aut cupri multo Argento aut Auro affluat, si Sulphur superfluum ante liquationem parvo tostionis igniculo non removeretur, sed ipsa Minera, cum crasso illo Sulphure, fusionis Igni vehementi committeretur, nullum profectò Metallum acquireretur, sed Sulphur illud fœtidum in nigras scorias bonum Metallum transmutaret. Sic etiam nullum pulchrum, & pellucidum vitrum ex puris Metallis confici fundendo posset, si crassum ejusmodi Sulphur ipsi adhæreret.

Quemadmodum igitur crassum, terrestre, fœtidum & rapax Sulphur, à Mineris & Terris Metallicis, ante fusionem, parvo igniculo non remotum, in fusione in bonum Metallum impetu facto, illud in nigras scorias transmutat; Ita etiam homines, nisi in hac vitâ, ante mortem, ad universalem illum Ignem in Ultimo Judicio affuturum se præparent, ac Sulphur suum comburens, & superfluum, nimirum peccata, & vitia igne pœnitentiæ à cordibus suis removeant, ab

ab illius ipsius, ipsorum cordibus, quæ occupavit, adhuc adhærentis rapacitate, in universali illo Judicii ultimi Igne, pauco etiam illo bono, si quid adhuc abest, orbabuntur, & in horrendas scorias mutabuntur. Nam exigua feri Sulphuris paucitas multum boni Metalli in scorias comburere potest, sicut etiam unum peccatum mortale, quo homo oneratus ad plures abit, corpus & animam hominis in abyssum, & barathrum sulphureum æternæ mortis præcipitare solet, ut vetus Ecclesia semper autumavit, & huic ipsi opinioni constanter adhæsit.

Hæc pauca de clarificatis corporibus silentio præterire non potui; multò minus illud, quod omnium rerum corpora per nostrum Arcanum Ignem multò melius in clarificata corpora transformari possint, quàm per Ignem vulgarem. Hic enim fugaces partes fugat, & expellit, cum tamen è contrario easdem noster Ignis conservet, atque unà cum cæteris clara reddat & figat. Unde necessariò tam pulchris & splendidis coloribus corpora ista eluceant oportet, præ illis aliis, in quibus vulgaris Ignis Mercurium & Sulphur expulit, ac nil nisi Salem reliquum fecit.

Quomodo autem transmutatio talis in cineres, per nostros humidos, & Arcanos Ignes effectui danda sit, facili negotio quis conjecturâ assequitur. Quicquid enim ipsis imponitur, in cineres comburatur oportet, & quidem longè

alios, quam quales vulgaris ignis combustiones efficiunt. Nam herbam aliquam aut lignum vulgari igne in cineres comburente, Sulphur incendio deflagrat, Mercurius alis suis confisus avolat, & Sal in pauco cinere, aut paucâ terrâ restat. Nostra calcinatio Philosophicæ nihil aufert, sed cuncta simul conservat, primò nigrum carbonem in conspectum producens, postea variæ pulchritudinis colores oculis subjiciens, quibus album subjicit, atque hunc tandem rubro, fusili, & Medicinali lapide absolvit.

NB. Hîc probè notandum, quod ad puram Medicinam parandam, purum quoque subjectum adhibendum sit. Nam si quis herbam, lignum, aut animal quodcunque, Secretorum Ignium vi, in Medicamentum commutare conaretur, omnes cineres & feces, quæ apud herbam fuerunt, etiam Medicamento adhærerent, & illud impurum redderent. Necessitas igitur postulat, ut non tota herba, aut totum animal sumatur, sed tantum Sal ipsorum essentialis, qui fecibus carens, solis puris herbæ principiis constat, ac facilius, quàm herba ipsa cum fecibus suis, in rubrum, tingentem, & solutionem facilè admittentem lapidem se converti patitur.

Pauca verò hæc, à me hoc in loco tradita, ne parvi momenti habeantur velim. Sunt enim talia, quæ haud exigui ponderis res velamento suo

ſuo vili contegunt, & non uniuſcujuſque cognitioni ſe inſinuare volunt. Maximi ſanè momenti res eſt, quod cujuſcunque Vegetabilis, Animalis, aut Mineralis corporis pars, ſine ullo ſui ponderis detrimento, ob fugaciſſimas partes omnes conſervatas, & ſimul conſtantes redditas, in fixum, ſolubilem, & tingentem lapidem rubrum, ac Medicinalem maturetur. Hæc via, cunctas res, ſine ponderis ſui jacturâ, in corpora clarificata tranſmutandi omnium eſt optima. Illa verò ipſa corpora, hoc pacto clarificata, ſine dubio majoris ſunt efficaciæ, quam ipſa craſſa corpora Animalium, Vegetabilium, & Mineralium, quæ craſſis ſuis & impuris fecibus adhuc turgent.

Si quis verò his non contentus ad majora aſpiraret, conſultum ipſi eſſet, ut ex hoc rubro & fixo lapide Animam extraheret, eamque iteratâ operatione ad lapidis formam redigeret, quo procul dubio adhuc longè majora effectui daturus eſſet. Quanto crebrius autem quis ejuſmodi operationem iteraret, tanto efficacius medicamentum adipiſceretur, eodem ſingulis iterationibus ſingula virium ſuarum augmenta acquirente, dum talibus actionibus vires, & virtutes rerum in anguſtum coguntur, & concentrantur, quibus admiranda præſtari poſſunt.

Atque hæc de omnium rerum in clarificata corpora reductione, de Animarum ex ipſis extractione, & earundem in puriora corpora concentratione, dicta hac vice ſufficiunt. Qui caput adeò vervecinum habet, ut ex his nihil omninò aſſequi poſſit, eidem non video, quâ ratione conſulendum ſit.

Videndum porrò erit nobis quid Spiritus ſint, ac inprimis concentrati Spiritus quid ſint, & quid præſtare valeant.

Quoniam Materia hoc in loco de Spiritibus dicendi occaſionem offert, paucis declarandum erit.

LXII. *Quid Spiritus ſint, & quâ ratione bonum, aut malum operentur.*

PRimo Spiritus Vegetabiles appellantur, quando Vegetabilia contunduntur, & contuſa humectantur aquâ, ſi ipſa proprio ſucco, aut non abundent, aut penitus careant, atque ita ad fermentationem deducuntur, ac poſt fermentationem diſtillantur, quæ diſtillatio ſubtiles & efficaces Spiritus parit, præter Medicinam, in Alchymiâ, & aliis Artibus multarum rerum utilium effectores.

Secundo ex Animalibus etiam varii & diverſi Spiritus per diſtillationem conficiuntur, ut ex Sanguine, Urinâ, Crinibus, Cornibus, Ungulis, aliiſque ſimilibus partibus Animalium, qui omnes

omnes Spiritus in Medicinâ, & Alchymiâ usum suum habent.

Tertio Spiritus quoque expelluntur ab Igne ex Mineralibus & Metallis, ac præcipuè ex Salibus, ut Vitriolo, Alumine, Sale petræ, Sale communi, & aliis similibus, quorum præparationibus pleni sunt Chymicorum libri, nos iterationibus superfluis supersedere jubentes. Eorum autem cencentrationes & utilitates jam antè à nobis descriptæ sunt.

In potestate autem hominis situm est, dictos Spiritus omnes ad usum suum parare, & magni momenti res iisdem efficere, sine quibus & in Medicinâ, & in Alchymiâ parum commodi & utilitatis percipietur, aut boni haud multum præstabitur, licet fugacis sint naturæ, & Ignem pati nequeant. Si autem ipsis constantiam in Igne Ars largiri posset, procul dubio longè majorum effectorum operatores existerent.

Cunctis veræ Medicinæ, & Alchymiæ indagatoribus sedulis, accuratâ meditatione expendendi ansam hîc porrigo, quid in Medicinâ & Alchymiâ effici posset, si fugitivi isti Spiritus per nostros figentes, & humidos ignes, qui nullam partem ab alterâ segregant, sed omnes unà figunt, fugacitate suâ orbarentur, & constantes redderentur. Hæc pauca sunt, quæ de Spiritibus humanæ potestati subjectis, & mortalium usui servientibus, dicere voluimus.

De aliis Spiritibus, quos Deus sui ministerii

causâ creavit, Angelis nimirum ſanctis, & ſimilibus, nihil hîc dicimus, quia quæ de his dicenda ſunt, ad alium locum pertinent, nimirum ad meum libellum, in quo de Deo & omnibus mobilibus Spiritibus agetur. Hic enim nonniſi de Vegetabilium, Animalium, & Mineralium Spiritibus, quatenus ad humanos uſus parari poſſunt, breviter agere volui.

LXIII. *Concentratorum Spirituum ex Salibus, Particularis in Medicinâ uſus.*

AUdivimus, quod concentrati Spiritus ſive humidi Ignes Salium omnes res Philoſophicè in calcem redigant, ſine Mercurii expulſione, & Sulphuris combuſtione, adeò ut cuncta conſervando, alterando, & emendando figant, id quod vulgaris ignis præſtare nequit. Hinc facili conjecturâ quis providere poterit, quàm excellentia Medicamenta, tantorum Ignium adminiculo, comparari queant. Ac quia tam excellentia Medicamenta, in humani generis gratiam nobis à Deo donata ſunt, ut ad communem uſum adhibeantur, impium profectò eſſet, eadem ſilentio involvere, ac miſeros ægrotos iiſdem orbare.

Quid quæſo miſerius, & ærumnoſius eſt ægroto homine in hoc mundo, ineffabili dolorum vehementiſſimorum cruciatibus afflicto? qui

qui licet omnes totius mundi opes possideret, nihilominus quovis mendico pauperrimo est afflictissimus. Ideò proximi mei amore impulsus, in animum induxi, nonnulla Medicamenta, tam universalia quàm particularia, hoc in loco apponere, ita tamen, ut in indignorum Hostium manus non incidant, sed solis amicis reserventur.

Ac primò quidem Medicamentum, quod debilem Stomachi concoctionem emendat.

℞. Dentes lupo aut cani semivivo, postquam sclopeti ictu prostratus est, ereptos, iisque affunde 2. aut 3. partes concentrati Spiritus Salis, in cucurbitâ, impositâ arenæ calefaciendæ debito igne, ut oleum Salis ipsos solvat, & in crassam pultem redigat. Ex hoc pulmento, affusâ calidâ aquâ omnis acrimonia Spiritus Salis elicienda est, ut nil nisi album pulmentum reliquum sit, cui quoniam adhuc aliquid olei Salis adhuc adest, utpote quod non penitus aquâ se elui patitur, earum Sacchari candi admisceatur oportet, quo acrimonia illa infringatur, & pulmentum ad suaviorem usum paretur.

LXIV. *Antidotum contra Venenum.*

RAbiosi canis dentes dicto modo parati Antidotum contra venenum exhibent; Sicut & omnium Animalium, præcipuè verò Cervorum dentes, ac cornua, post talem præparationem omnibus venenis resistunt.

LXV. *Quorum Animalium Dentes & Cornua præ cæteris in Medicinâ excellant.*

OMnium Animalium rapacium, ut & Marinorum Monstrorum dentes, & cornua magni sunt in Medicinâ usus; ut Luporum, Ursorum, Lyncum, Tigridum, Leonum, Leopardorum, & in Aquâ Crocodilorum & similium raptu viventium piscium, quorum cornua, dentes, & squamæ, juxta cum rapacium Avium ungulis, concentratum Salis Spiritum, dicto modo, in bona Medicamenta converti possunt.

LXVI. *Experimentum indicans, qui Vermes ad Medicinam idonei sint.*

℞. FOrtem, & probè rectificatum Spiritum Salis, aut solummodo Aquam fortem efficacem, eidemque immerge vermem cujuscunque generis, qui se fugâ eripere conabitur, cum primum Ignem illum humidum senserit. Quoniam

niam verò evadere nequit, tamdiu reluctabitur, donec moriatur. Quantò diutius autem vermis aut musca in Aquâ forti vivit, tantò majoribus viribus in Medicinâ pollet, id quod alicui indicio esse poterit. Quomodo ex corticibus, & siliquis Medicamenta paranda sint, mox sequetur.

LXVII. *Experimentum indicans, quæ herbæ ad Medicinam utiles, aut inutiles sint.*

MOdo apud vermes indicato utere, & herbarum, quas cognitas non habes, aut quarum vires te latent, unam post aliam igni humido impone. Ea quæ tardius solvitur, illi, quæ citius solutionem admittit, viribus & virtutibus præstat. Exempli gratia: Lactuca, Porcellana, Melones, Cucumeres ac similes herbæ aquosæ, juxtà cum fructibus, humidam naturam habentibus, mox ab illis Ignibus in aquam convertuntur: Rosmarinus, salvia, thymus, serpillum, & aliæ calidiores, diuturnius ad solutionem suam tempus postulant. Zinziber, Piper, Cariophyllum, Nux Myristica, Cinnamomum, Cardomomum, Zedonria, &c. longiorem in solutione moram trahunt, antequam penitus in aquam abeant. Unde cuivis, herbarum natura & proprietates facili negotio innotescunt. Accedit quoque, quod tantò efficacius Medicamentum ex verme aut herba aliquâ efficiatur,

ciatur, quantò vehementiore veneno pollet.

LXVIII. *Ex venenosis Vermibus, & Insectis Medicamentum efficax parandi modus.*

IN Secundâ Parte Pharmacopœæ Spagyricæ docui modum venenata insecta per Nitri fixi liquorem corrigendi, & venenum ipsorum in efficax Medicamentum mutandi, quem Medicamentorum bonorum studiosus ibi reperiet. Hoc autem in loco docetur, quo pacto ejusmodi vermes, & herbæ veneno abundantes, per concentratum Ignem Salis corrigantur, & in excellentia, atque penetrantia Medicamenta mutentur: Operatio talis est.

1. 2. aut 3. uncias nostri concentrati Ignis Salis infunde in vitrum aliquod, cui injicies vermium, ex quibus Medicamentum parandum est, unum post alterum, non tamen plures, quàm ipse Ignis dictus solvendo consumere potest. Postquam omnes soluti, & in aquam conversi sunt, omni veneno amisso, Medicamenta bona evaserunt.

LXIX. *Medicamentum ex Vermibus, per humidos Ignes solutis, separandi Modus.*

INter vermes, & insecta venenata magnum discrimen reperitur. Partim enim sunt siccæ, partim humidæ, partim verò pinguis, & oleosæ naturæ & proprietatis, ut ita omnino necessarium sit, debito discrimine ipsorum naturas distinguere. Insecta, quæ siccam proprietatem habent, ut Cantharides, ac similes, in forma Salis usurpanda sunt. Aquosi vermes, ut Lumbrici, Aranei, atque similes, Medicamentum suum in formâ liquoris exhibent. Balsamici vermes, veluti Majales vermes, & cæteri ejus generis, præter Medicamentum, quod largiuntur, etiam pingue & balsamicum oleum præbent, & quidem ad externum & internum in Medicinâ usum, ipso liquore multò efficacius. Res ut melius intelligatur, operationem apponam, quam tanquam Cynosuram ducem, unusquisque sequi poterit.

LXX. *Operatio in omnibus generibus Vermium tractandis usurpanda.*

℞. ALiquot Uncias Vermium Majalium, vitro impone, & affunde tantum concentrati Spiritus Salis, ut vermes probè tegantur, & sensim dissolvantur. Postquam penitus

soluti

ſoluti fuerint, ſolutionem immitte in vitrum ſeparatorium, orificium vitri digito claude, vitrumque inverſum tamdiu clauſum digito contine, donec omne pingue Oleum liquori ſupernatet. Digitum remove, ut liquor effluere queat, ac ipſum oleum, liquorem elapſum ſequens, digito, quo orificium rurſus claudes, retine, ut in aliud vitrum effluendo immitti queat. Cuſtodi hoc Oleum, ſive balſamum, ut theſaurum pretioſum, quo admiranda in curatione morborum, præcipuè vero Podagræ, atque calculi, præſtabis. Ex his vermibus tamen parum Olei elicies, atque in injiciendo illos in liquorum ſolventem cavebis, ne manibus ipſos attingas; ſed forcipe parvulo arreptos in vitrum immittes. Hanc enim proprietatem habent, ſi manibus attingantur, ut mox eas inficiant emiſſo pingui balſamo, quod Moſchum ferè olet. Idem ferè eſt, ac ſi dicerent; Vitam nobis quæſo dona; omnia quæ habemus, tibi dabimus: cape hoc balſamum, & ad curandos incurabiles morbos eodem utere.

Nonnulli homines talium rerum ſtudioſi hoc balſamum collegerunt, atque ipſis vermibus longè efficacius, imò nimis vehemens deprehenderunt, quia ejus correctio ipſis ignota erat.

LXXI.

LXXI. *Separatio Liquoris Medicinalis ab humido Igne, post Olei separationem*

QUod ad liquorem attinet, à quo balſamum ſemotum eſt, ſine Ignis humidi mortificatione Medicamentum illud ægrè ſecernitur. Salis igitur humidus Ignis contrario Igne eſt occidendus, ut ſeparatio requiſita fieri poſſit, quam ita conſequeris.

Liquorem partim ex ſolutis vermibus, partim ex Igne Salis conſtantem, per filtrum cola, ut clarus evadat, & cutibus vermium, ſi quæ forſan non ſolutæ eſſent, liberetur. Si propter nimiam pinguedinem ægrè per filtrum tranſiret, tantum aquæ communis affunde, ut tenuior effectus, chartam bibulam promptius penetret. In liquorem hunc ita clarum guttatim inſtilla liquorem Salis Tartari, qui acrem Ignem Salis occidet, ita ut ex illo Igne Salis, & ex hoc Sale Alcali mediæ naturæ Sal exiſtat, in cryſtallos concreſcens, ac reliquam partem in formâ liquidâ relinquens, quæ vel alba erit, vel flava, ſecundum Ignem Salis, qui adhibitus eſt. Liquor autem hic concretum Salem viribus ſuperat, utpote continens eſſentiam vermium, quæ cum Sale non concreſcit, ſed in liquore ſuperſtes manet. Rem experientia largior docebit.

Quas autem antè præparationem ſuam hi

vermes nondum veneno suo spoliati qualitates possederunt, easdem post illam ipsam præparationem obtinent, usu tamen tutas, quæ antea periculosæ erant. Horum autem vermium proprietates hæ sunt: Non solum ex corpore omnes Podagricos humores educunt, sed etiam præ cæteris omnibus Medicamentis Calculum ex renibus & vesica expellunt, atque porrò ejusmodi morbos alios curant, qui planè incogniti sunt, & planè incurabiles judicantur. Imò volatilem illam arthritidem, quæ membra pervagatur, omnino tollit. Sed quæstio hîc oritur.

LXXII. *An etiam quivis humidus Ignis Salis ad hunc laborem idoneus sit?*

Laborem hunc ipsum quidem quovis Igne humido perfici posse ajo, sive ex Vitriolo, sive ex vulgari Sale, sive ex Sale petræ paratus sit. Differentiam verò magnam ab iisdem Salibus proficisci affirmo. Concentratus Spiritus Nitri, post mortificationem suam cum Sale fixo in Salem petræ concrescit. Concentratus Spiritus Salis in quadratas crystallos abit. Idem faciunt oleum Vitrioli, & Sal Tartari. Sal ex Sale communi in hac operatione existens suavitate cæteris antecellit; Qui à Vitriolo proficiscitur, amaritudine suâ nauseam parit, & qui Sali petræ ortum suum debet, mediæ est naturæ.

naturæ. Omnes tres tamen laxante & purgante facultate efficaces, urinam quoque promovent, fortius aut remissius, prout vermes fuerunt, ad quorum solutionem Ignes dicti adhibiti sunt.

NB. Liquoris operatio Salium viribus semper antecellit. Quando acres Spiritus Salis non lixivio Tartari, sed urinæ, aut Salis Armoniaci Spiritu mortificantur, Sal & liquor longè fortiores evadunt, quam per Salis Tartari præcipitationem. Spiritus Salis Armoniaci ut plurimum solutos & correctos vermes in pulverem præcipitat, qui aqua communi ablutus, & acrimoniâ suâ liberatus, in siccâ formâ ad Medicinæ usum adhibetur. Hoc lixivium non præstat, sed vermes in formâ liquoris semper conservat.

LXXIII. *Quæstio. An etiam plura alia scitu utilia ex hac venenosorum vermium solutione addisci possint?*

Responsio. Imò. Nam hæc operatio non solum omnium vermium bonas & malas proprietates docet, sed etiam evidenter demonstrat, quod unumquodque Animal, cujuscunque sit generis, imò ipsi homines, quando in agone constituti mortem ingruere sentiunt, internos naturæ motus, quibus in vitâ præditi fuerunt, patefaciant, & in conspectum producant.

LXXIV. *Uniuscujusque Vermis in terrâ, Piscis in aquâ, Avis in aëre, imò ipsius Hominis internam naturam cognoscendi Modus.*

Scarabæum, stercoris equini incolam, aut alium cupri colore tinctum, immittens Aquæ forti, vitro aliquo contentæ, videbis, quod in extremâ moriendi necessitate, ex Aquâ forti emergere non conabitur, sed secundum innatam sibi proprietatem in terram se abscondere nitetur. Quia verò vitri fundum nimis durum perforare nequit, frustra tamdiu voti sui compos fieri molitur, ac fundum tundendo perforare tentat, donec moriatur. Hinc videre licet, quodnam ultimum ipsius refugium fuerit, nimirum in terram se abscondendo imminentem mortem effugere.

Musca Aquæ forti imposita fundum non petet, sed omnem operam dabit, ut ex Aquâ forti emergat, quia vivens semper in aërem contendit, sicut omnia volatilia facere solent. Piscis ad angustias redactus in Aquæ fundum se recipiendo periculum declinare studet.

Pari ratione in apertum prodit natura hominum in extremas difficultates conjectorum. Homo pius, qui semper de Deo in vitâ suâ cogitavit, eidem constanter in agone adhærebit, atque ad eundem, in quo semper spem suam repositam habuit, moribundus refugium suum capiet,

piet, inde auxilium præstolaturus, unde illud semper speravit.

Impius autem, qui in totâ suâ vitâ Deum neque timuit, neque ante oculos habuit, sed cogitationibus suis voluntati Satanæ semper submisit, ægrè admodum in extremis angustiis alius auxilium implorabit, quàm ejus cui omnibus suis cogitationibus & actionibus in vitâ suâ adhæsit. Multò potius igitur in angustiis suis exclamabit; O vos montes, obruite & tegite me, ut iræ Dei me subtraham. Nihil adjumenti tamen ipsis tales ploratus & ejulatus conferent, audituris potius Diabolum dicturum: Adeste vos mei fideles auxiliatores, & instrumenta, fruemini eadem felicitate, quâ ego; habitabitis nimirum mecum in fœtidâ, & tenebris oppletâ abysso omnis perditionis, cum omnibus Diabolis, ubi nil nisi ploratus erit & dentium fragor. Hoc ultimum præmium, hunc ultimum honorem vobis largiri possum, pro omnibus vestris fidelibus officiis, quæ in vita vestra mihi præstitistis; dum turpibus criminibus calumniati estis, & inquietissimis turbis perturbastis eos, qui proximum suum multis beneficiis affecerunt, quorum conatus pios, ex voluntate meâ, scitè impedivistis.

O F. & H. vos estis illa instrumenta Diabolica, qui in Satanæ gratiam, Patriæ prosperitatem omnibus viribus impedire studuistis. Re-

dite ad frugem, & resipiscite, dum vobis tempus hoc facere concedit.

LXXV. *Bonorum Medicamentorum ex venenatis Vegetabilibus, per concentratos Spiritus Salium, Præparatio.*

IGnes nostros Salium humidos cuncta destruere quidem, sed nihil ex iis comburere, aut depellere, sicut solent facere vulgares ignes, hactenus docuimus. Hoc verum esse etiam Vegetabilia testantur, quæ nostris humidis Ignibus immissa solvuntur, & in aquam abeunt. Oleum verò, quod complexa fuêre, separatur, ac supremum locum occupans eidem innatat, ita ut ab eodem secerni possit, ut de Vermibus Majalibus suprà indicavimus. Eadem etiam ratione, à Spiritibus Salium herbæ essentia segregari potest, sicut ibidem indicavimus. Olea, quæ operatione hac ex herbis, & cæteris Vegetabilibus eliciuntur, magnas & peculiares virtutes obtinent, quia humidorum Ignium efficaciâ optimè corriguntur, & emendantur, quam correctionem & emendationem ipsis distillationes & expressiones neutiquam conciliant.

LXXVI. *Subjectorum nimis vehementer purgantium Correctio, per humidos Ignes, ut tutò ipsorum usus admittatur.*

DIctâ ratione Diagridio, Helleboro, Catapu-tiæ Gummi Guttæ, aliisque vehementer purgantibus subjectis, venenata sua facultas adimi, & in suaviorem ac mitiorem converti potest.

LXXVII. *Correctio nimis vehementer operantium Diureticorum, ut tutò adhiberi in Calculi curatione queant.*

SOlve per nostros Ignes concentratos Cantharides, Vermes Majales, Lumbricos, Millepedes, & sequere modos illos operandi, quos aptè præscripsimus: Excellens & tutum Medicamentum, vesicæ & renum Calculo medendi facultatem habens, acquires.

LXXVIII *Narcoticorum, & Somniferorum Subjectorum, per humidos nostros Ignes emendatio, ut sine periculo vires suas exerceant.*

OPium, semen Hyosciami, Mandragoram, aut simile Subjectum concilians somnum

perfunde concentrato Spiritu Salis, quod in eo liquefcet. Oleum fi adfuerit, quod in femine Hyofciami frequens eft, fe feparabit, & fummo liquori infidebit, quod à liquore fecernendum, & accuratè cuftodiendum eft, quia temporibus folummodo illitum mox fomnum excitat. Liquor ad internum ufum adhibetur, ficut fuprà in præparationibus docuimus.

LXXIX. *Venenatorum Subjectorum fimul purgantium, fudorem provocantium, urinam propellentium, & fomnum excitantium, per Ignes noftros, emendatio, ut non modò tuta evadant, fed etiam multum boni in Medicinâ efficiant.*

IN horum fubjectorum numero funt Staphifagria, five femen herbæ pedicularis, Coculi de Levante, Nuces Vomicæ, ac ejufdem facultatis alia plura, quæ eodem modo, ut priora, ac iifdem operationibus tractantur.

Hac ac fimili ratione omnia venenofa, atque vehementer operantia Vegetabilia, & Animalia, quæ aliàs optimis virtutibus prædita quidem funt, fed propter vehementes fuas operationes, fine periculo intra corpus fumi nequeunt, corrigi poffunt, ut tutò ad internum ufum admittantur, & in Medicinâ magni momenti effectus producant.

LXXX.

LXXX. *An etiam venenata Mineralia, perinde ac Vegetabilia, & Animalia, nostro Arcano, & humido Igne Salis corrigi, & insalubria Medicamenta converti possint?*

SCiendum est, quod non solum venenata Animalia, & Vegetabilia, sed etiam omnia Mineralia veneno pollentia eméndari, atque præsentissima ipsorum venena in optima Medicamenta converti queant. Exempli causâ:

LXXXI. *Quomodo venenata, & fugacia Mineralia nostris humidis Ignibus, invertenda sint; ut fugax, fixum, & venenum Medicamentum evadat.*

℞. ALbi aut rubri Arsenici partem 1. eique affunde duas aut tres partes Ignis ex Nitro concentrati, quas ex cucurbitâ arenæ impositâ per Alembicum evocabis: Materiam residuam ex vitro exime, & aquâ communi elue, quo facto habebis Arsenicum diaphoreticum, tuto usu, intra corpus, admittendum, parvâ tamen dosi, quia vomitum quandoque excitat, præcipuè quando Nitrosus Ignis aliquanto debilior extiterit. Ut autem vomitus ejusmodi præcaveatur, Ignis dictus bis, aut ter ab Arsenico, per Alembicum, abstrahendus est, ut venenum eò melius occidatur, & fugacitas

in fixitatem mutetur, ac idem Arsenicum posteà cum aliis Metallis, sine veneni periculo, liquari & tractari possit, quod anteà factu impossibile erat. Nam Arsenicum, cui suum venenum ademptum non est, sine magno periculo intra corpus non admittitur. Nec eâ de causâ hîc talium ex Arsenico, similibusque venenosis Mineralibus, Medicamentorum præparatio inseritur, ut in usum Medicum introducantur, quoniam alia tutiora Medicamenta haberi possunt. Noster scopus solus hic est, ut demonstremus, etiam venenosissima, & fugacissima Mineralia nostro humido Igne inverti, veneno suo spoliari, & fixa reddi posse.

LXXXII. *Modus immutandi fugacia & facilis fluxus Mineralia, per humidos Salium Ignes, ut fixa fusionem ægrè admittant.*

EXemplo nobis sunto stannum, aut zincum, quæ facillimæ fusionis Metallis annumerata, etiam fugacissima esse censentur. In vulgus enim notum est, stannum parvo admodum igne liquari, & etiam in fumum abire, si in fluxu continuo conservetur. Si autem continuo motu in cinerem torretur, fixum evadit, nec ullâ Ignis violentiâ se ad pristinum suum corpus reduci patitur, sed in vitrum mutatur.

Eadem

Eadem ratione ſtannum , zincum , aliaque Metalla fugacia noſtris Ignibus humidis torremus, & in cineres, ad priſtinum ſuum corpus non redeuntes , comburimus, quando nimirum liquores noſtros Igneos ipſis affundimus, ut unà incaleſcant, vel etiam per abſtractionem , liquoribus iſtis , ipſa Metalla rurſus liberentur. Hæc enim inſtar mortuorum cinerum in fundo remanent , nec unquam ſe ullo pacto ad priſtina ſua corpora reduci ſinunt.

NB. Quicunque autem novit, ejuſmodi materias & pulveres adhibere , qui tales cineres ad ſua priſtina, & fuſibilia corpora revocare ſolent, is labore ſuo fruſtrà non defungetur, multò melioris & nobilioris naturæ Metallum conſequuturus, quam ſtannum , cujus plurima pars interna Aurum & Argentum exiſtit.

Nemo autem opinetur,ſe talem reductionem, Boracis, aut Salium ope, perfecturum. Minimè gentium : Ad hunc enim laborem Metallicæ materiæ, ad fluxum promovendum requiſitæ, pertinent, quarum paſſim in Scriptis meis præparationes diverſimodas docui, ſed non ſub eo nomine, quo ipſis hæc potentia tribuitur, utpote quas in aliis tranſmutationibus Metallicis adhibendas indicavi.

LXXXIII. *Quomodo Mercurius fugax figendus ſit, ut candefactionem admittat.*

VUlgari Sulphure Mercurium vulgi in nigrum cinerem coagula, atque hunc eundem cinerem igne Vitrioli concentrato, ſeu potius eo igne, qui ex ipſo Sulphure extractus eſt, miſce, ita ut ex hac miſturâ tenuis maſſa evadat, de quâ circiter unum aut duos lotones linteis, ſive ex lino, ſive ex goſſypio textis, ita involve, ut ſemper unum circumeat alterum, & Mercurius medium locum occupet. Hoc glomus, ſive hunc globum filo probè & firmiter liga, atque igne undique circumda, ut lintea illa cuncta candefacta in prunas mutentur. Totam hanc maſſam candentem exime, ut refrigeſcat: lintea combuſta remove, quibus remotis, invenies Mercurium in rubrum pulverem mutatum, non tamen in Metalla ingreſſum habentem, neque in Medicinâ aliquid momenti alicujus præſtantem, quia in mortuam terram, noſtri Ignis combuſtione, converſus eſt. Nec ideò etiam coagulationem hanc hîc appono, ut ex eâ lucri quid capiatur, ſed eâ tantum causâ, ut maximæ Ignium noſtrorum vires, ejus operatione demonſtrentur.

LXXXIV. *Aliud Experimentum facilius demonstrans possibilitatem, per nostros Ignes Salium Arcanos, reddendi Mercurium in igne constantem, quod notus, & vulgaris Ignis efficere nequit.*

VUlgaris & flavi Sulphuris partem 1. in crucibulo, aut sartagine terreâ liquefac, eique instar olei liquefacto injice 2. partes Mercurii vulgaris, ac materiam spatulâ crebrò misce, ut Sulphur Mercurium assumat, & cum eodem in nigram massam abeat, cui massæ adhuc tantum Sulphuris adjungendum, quantum totius massæ in sartagine existentis pondus erit. Cuncta simul liquefacienda, & probè movendo tamdiu commiscenda sunt, donec cinereum colorem sibi adsciverint. Massæ in fluxu versanti intingenda sunt licia linea, qualia aliàs solent esse, quæ dolia sulphurato odore imbuunt, ut à mucore conserventur. Talia licia, filo ferreo adunco appensa, accendi possunt, quâ incensione comburuntur, Sulphure & Mercurii parte in auras evanescente, parte verò per Sulphuris flammam calcinatâ & fixâ, combusto linteo adhærente. Quibus autem viribus hic calcinatus Mercurius polleat, dicere nequeo, ut qui nullum aliud experimentum eodem feci, operationemque hanc ejus rei gratiâ solummodo hîc inserui, ut nostro-

rum humidorum Ignium poteſtas innoteſcat. Meditationes & inquiſitiones plures ea quidem patefacient, quæ aliàs nec quæſita unquam, nec inventa fuiſſent. In hoc enim labore duplex Ignis operatur; Viſibilis nimirum flamma, & inviſibilis Ignis humidus, quem Sulphur occultat, & ſui corporis combuſtione manifeſtat, ac viſibilem & efficacem reddit. Grave enim oleum illud Sulphuris acidum, quod in quovis Sulphure occultum hæret, maximas in Metallicis res præſtat, & quia flamma, ſive Ignis externus, Sulphuris internum, acrem ac humidum Ignem exaſperat, & impellit, acida illa qualitas aggreditur ſubjectum illud, quod ipſi adjunctum eſt, idem deſtruendo, & in fixiorem ſtatum provehendo. Itaque quod toties dixi, iterum repeto & inculco, conſtanter aſſerens, multa ſub hoc labore occulta jacere, ac ſedulis naturæ indagatoribus, ad magnarum rerum acquiſitionem, viam ſtratam eſſe. Plura de talibus tranſmutationibus, in aliis meorum Scriptorum locis, prolixius indicabuntur.

Sed hîc dicere aut cogitare haud pauci poſſent, quo pacto Glauberus cunctarum harum rerum mirabilium, quæ hactenus nec auditæ, nec lectæ ſunt, compos fieri potuit? His reſpondeo; Cunctarum rerum accuratâ inquiſitione tantarum rerum cognitionem acquiſivit. Otiando enim, dormiendo, & ignaviæ atque pigritiæ indulgendo nihil addiſcitur. Qui

naturæ

naturæ penetralia perſcrutari ſtudet, ingenii acumine cuncta perquirat, & manus ad labores adhibeat oportet. Ut autem cupido veritatis indagatori, aliquo modo, hac in re, ſatisfaciam, conſultum mihi videtur hîc mentionem facere occaſionis, quæ non ſtudio me inquirentem hanc coagulationem Mercurii, caſu ad eandem perduxit, & præcipuè monſtravit excellens arcanum, cuncta vina, aceta, & alios ejuſmodi potus, facilè ac citò ad claritatem & pelluciditatem promovendi; Quale ſecretum, ego credo, hactenus nemini innotuit, ea de cauſa dignum, ut in generis humani communem utilitatem hîc apponatur.

LXXXV. *Hiſtoria vini tenacis ac corrupti, ad ſuam claritatem & bonitatem priſtinam, reductionem & reſtitutionem enarrans.*

Vinum in dolio quodam meo viſcidum, & tenax evaſerat: ejus corrigendi cauſâ vietor accerſitus, more ſolito illud in aliud recens dolium transfudit, ac omne artificium adhibuit, ut illud emendaret.. Tranſmittebat autem aliquoties per longam fiſtulam ex bracteis ſeu laminis albis paratam, & multis foraminibus parvis pertuſam, ac alia quoque media, quæcunque noverat, fruſtra tamen ſingula, adhi-

adhibebat. Tandem haud exiguam Salis copiam vino injiciebat, & utrumque vehementer concutiebat, irrito tamen labore, ita ut mihi meum vinum, poſtquam omnem ejus reſtituendi ſpêm abjeciſſet, corruptum relinqueret.

Sed quia nimis multum Salis vino injectum fuerat, adeò etiam, ut guſtu ipſo percipi Sal potuerit, vinum ipſum ad bibendum ineptum erat, licet ad priſtinam claritatem rediiſſet. Nihil proinde aliud reſtabat, quam ut diſtillatione Spiritus ipſius eliceretur. Nihilominus tamen in animum inducebam adhuc tentare, an fieri omninò poſſet, ut tenacitate illâ ſuâ liberaretur. Incendebam igitur licia ſulphurata, conſperſa minerâ plumbi, in pulverem redactâ, vinumque fumo illo imbuebam, ſicut aliàs fieri ſolet, ſi per corruptionem ex ſtatu bonitatis ſuæ vina dejecta ſunt. Adjunxi autem plumbi Mineram, quia dum Sulphur per flammam conſumitur, plumbi fumus vinum penetrans, omnes ſordes præcipitat. Sed experimentum hoc mihi non ſuccedebat. Tandem Mercurium, ſuprà dicto modo Sulphuri mixtum, ſive licia eodem imbuta incendi, ſperans, quod Mercurius in fumum tranſmutatus vinum ingreſſurus eſſet. Verum enimverò contrarium planè uſu venit, cum Sulphur quidem incendio conſumeretur, ſed Mercurius nullum de ſe fumum ederet, atque è contrario

in pulverem rubrum mutatus, liciis combustis adhæreret. Post adustiones has, Mercurialis hujus Sulphuris, aliquoties repetitas, vinum non Sulphur, ut aliàs solet, sed Moschum aut Ambram redolebat, & pristinam suam claritatem recuperabat, nihilominus tamen ob nimiam Salis copiam ineptum, quod biberetur.

Hoc mihi usu venit, quod accuratiore meditatione alii expendere possunt, forsan ex hac historiâ percepturi ea, quæ in aliis rebus utilitatem aliquam conferre possunt. Non enim frustrà eandem hîc commemoro. Sapienti sat dictum. Viam alicui monstrasse sufficit. In eâ si pergere recusat, sibi culpam imputet.

LXXXVI. *Quomodo nostri humidi Ignes Salis, flavum, & vulgare Sulphur, aliquo modo, figere possint, ut æquè in Medicinâ, quàm in Alchymiâ cum emolumento, ad usum adhiberi possit.*

℞. 1. PArtem flavi Sulphuris in pulverem contriti, atque pondus hoc quater vel quinquies superantem Ignem Salis petræ concentratum, quem dicto pulveri in cucurbitâ vitreâ affundes, & per Alembicum aliquoties abstrahes; Hoc facto Sulphur in cucurbitâ tandem rubrum colorem acquirendo pellucidum evadit.

Si in aëre in pingue oleum diffluit, probè operatio

operatio peracta est: Sin minus, labor iterandus erit, aut illo ipso igne, aut recente aliquo, quod melius est. Toties enim dicti Ignes abstrahendi sunt, donec in pingue Oleum diffluat; Oleum inquam Sulphuris, quod magnis viribus dotatum, non modo in Alchymiâ, & Medicinâ, verum etiam in aliis artibus commodo admodum quæstuoso usurpatur. Præcipuè autem Balsamus est egregius, cunctis pulmonum ægritudinibus & aliis putrefacientibus corruptionibus resistens, ut ex sequuturis Centuriis, prolixius hæc tractaturis, patebit.

LXXXVII. *Modus per nostros Ignes Salium humidos; Antimonium in niveum Medicamentum convertendi, quod contra pestem, febres omnes, atque alios morbos cum fructu usurpabitur.*

QUando Regulus Antimonii per se, sine ferro factus, & in pulverem comminutus, concentrato Igne Salispetræ perfunditur, & aliquandiu in calidâ arenâ detinetur; humidus Ignis, Antimonii Regulum, in album pulverem comburit. Postquam cuncta lactis albi colorem induerunt, aqua communis affunditur, quæ ignem Nitri attrahit, posteà rursus aliis laboribus idoneum, & Spiritus Nitri vices obeuntem. Pulvis albus mul-

tis aquæ lotionibus dulcis redditus & ſiccatus, excellentis Diaphoretici Medicamenti munia obit, tutoque uſu Peſti, omnibus febribus, & aliis morbis, per Diaphoreſin abigendis, validè reſiſtit.

LXXXVIII. *Quo pacto per Nitroſum Ignem, nigrum & crudum Antimonium, in album pulverem redigendum, & combuſtibile, ac flavum Sulphur ab eo ſeparandum ſit, ut quaſi Panacea omnibus morbis reſiſtat, & per 4. Emunctoria, Vomitus, Sedes, Sudorem & Urinam operetur.*

ANtimonium tantò melius ac nobilius eſt, quantò longioribus & pulchrioribus radiis concretum apparet, ideò præ cæteris in Medicinâ majoris efficaciæ; Huic in pulverem contrito affunditur ignis Nitroſi quantum illius ſolutioni ſufficit, qui mox in frigore ſolutionis laborem ordietur. Eo abſoluto vitrum arenæ calidæ imponendum, ut totum Antimonium ſolvatur, & flavum Sulphur ejus, inſtar flavi pulveris, ſolutioni ſupernatet. Refrigerata ſolutio per linteum purum percolata, in linteo Sulphur relinquit, ſuum uſum in Medicinâ & Alchymiâ peculiarem habens; Ipſi verò aqua communis affunditur, Nitroſum Ignem extinguendi & debilitandi

causâ, ut Antimonium in tenerum & niveum pulverem mutatum ad fundum demittat, qui probè lotus & ſiccatus, Panaceæ loco ad multos morbos abigendos adhiberi poteſt, quippe ſingulari efficaciâ per cuncta emunctoria operans, tutò tamen, niſi quis nimis ineptè & imperitè ipſius adminiſtratione abutatur. Pollet autem omnibus iis viribus, quas ſubrufæ meæ Panaceæ adſcripſi.

LXXXIX. *Quâ ratione Salis culinarii Ignis concentratus Antimonium, inſtar Butyri, ex retortâ expellat, & materiam exhibeat, in Medicinâ & Alchymiâ cum utilitate adhibendam.*

Antimonii Regulo in pulverem contuſo affunditur grave Salis communis oleum concentratum, quod ex retortâ per diſtillationem rurſus abſtractum, ex Regulo Antimonii tantum abſtrahit, quantum poteſt, inſtar butyri craſſi aſcendens. Ignis eſt ingens, & ad maturationem aliquot Metallorum immaturorum admodum aptus, qui & in ipsâ Chyrurgiâ utiliſſimus, incurabilium, & cancroſorum ulcerum curandorum baſin & fundamentum locat. Si huic oleo aquam affuderis, ab ipſo Antimonium in formâ pulveris albi ad fundum præceps datur, eluendum poſteà & exſiccandum, ut in pulverem illum album redactum,

ctum, medicamentum bonum evadat, in omnibus iis morbis usurpandum, ad quos præcedentia medicamenta usurpantur, eâ tamen cautione, ut ejus parva saltem dosis in usum veniat, eò quod potentioribus viribus operatur, quàm præcedentia medicamenta Nitrosi ignis ope parata, & quidem hanc ob causam, quia Oleum Salis communis res fugaces reddit, quas Nitrosi ignes constantiores in igne efficiunt.

X C. *Modus Nitrosi Ignis operatione, Mercurium in rubrum & fortiter purgans Medicamentum convertendi.*

AB unâ parte Mercurii purgati abstrahuntur, in cucurbitâ vitreâ, per distillationem, 2. aut 3. partes Nitrosi nostri Ignis, qui Mercurium longè fixiorem reddit, quàm si Aqua fortis multoties ab eo per distillationem evocata esset. Ruber hic Mercurius, aquâ communi, salsedine suâ liberatus, validum Purgans evadit, dosi exiguâ, nimirum uno, duobus, tribus, aut ad summum quatuor granis usum suum definiens, atque in Morbo Gallico, aliisque similis farinæ detestandis morbis, non sine curationis effectu, adhibendum.

Pari ratione non solum varia & excellentia Medicamenta, nostrorum humidorum Ignium operationibus, facilè parari, sed etiam magni

momenti res in Alchymiâ, aliisque artibus effici possunt, de quibus hac vice, prolixiorem ingredi narrationem, tempus non permittit, eam in proximè sequuturas Centurias remittens.

Quandoquidem verò Spiritus Salis concentratos, in hoc Opusculo, humidos Ignes appello, externâ quidem specie, nullam ullius ignis imaginem præ se ferentes, necessarium esse arbitror, ut demonstratione firmiore ostendam, quod non solum viribus igneis polleant, verum etiam, post interiorum ad exteriora, & exteriorum ad interna conversionem factam, veri, visibiles, palpabiles, & sensibiles ignes existant; cumprimis autem Nitrosus ignis, qui omnium optimè dictam nostram sententiam confirmat, quippe ex igneo subjecto Chymicâ operatione paratus.

XCI. *Internum & flavum nostri humidi, & albi Ignis Nitrosi colorem, ab interioribus ad exteriora convertendi, & visibilem reddendi ratio.*

IN Nitro flavedinem & ruborem occuli, nullius captum superat, sed facili negotio verisimile fit & credibile. Nam cum Salpetræ Solaris sit proles, eidem suo Patri Soli colore, formâ, virtute & efficaciâ respondeat oportet, si originis & nativitatis suæ fidem facere

alicui

alicui voluerit. At Salpetræ albo colore micat; Sol verò flavam veſtem indutus, inſtar ignis coruſcat, adeò ut hîc nulla colorum ſit convenientia, quamvis aliàs in comburendo, & omnes res maturando, maxima ſimilitudo inveniatur. Hæc ſolum inter Salempetræ & Solem occurrit differentia, quod ille particulariter tantum omnes res augeat, maturet, & promoveat: Hic verò univerſaliter cunctis rebus vitam, incrementum, & nutrimentum largiatur, Sale tamen, ſocio ſuo in auxilium adſcito, ut in hujus libelli fine evidenter probabitur. Equidem credo, ſi nobis factu facilè eſſet, nimirum ut ex Salepetræ innatum & internum ruborem ad exteriora convertere, eundemque ab immundo, & craſſo ſuo corpore ſegregare, & fixum atque conſtantem reddere ſciremus, quod univerſaliter maximi momenti res peracturi eſſemus. Sed quis nobis hanc viam oſtendet? Noſtra peccata, oculis noſtris, tenebras cœcitatis offundunt, ut bonum nec videre, nec prehendere queamus, ſed in tenebris errantes toto cœlo à veritate aberremus. Atque hæc Dei eſt voluntas, ut ita fiat, quoniam ad frugem nos recipere penitus recuſamus.

Dubium autem hoc removendi cauſâ demonſtrabo, Solis filium eſſe Salempetræ, licet externo vultu Patri non reſpondentem. Idcirco ejus Patrem dico eſſe flavum Solem, à quo generatus

eſt, auxilio tamen albæ Lunæ, quæ mater exiſtit, & ipſi album colorem largitur: Sed ſanguinem paternum, & igneas vires internis ſuis penetralibus ipſum occultare ajo. Adeo ſapienter à parentibus ſuis, Sole puta patre, & Lunâ matre Salpetræ ſignatus eſt. Pater huic ſuo filio igneum cor, Mater album & frigidum corpus dedit, unde factum eſt, ut Hermaphroditicam naturam induerit, ſimul mas & fœmina, calidus & frigidus, ruber & albus, vivificans & occidens exiſtens.

Si jam aliquid boni eliciendi ex ipſo cupidi fuerimus, ſeparationis ope rem aggrediamur oportet, ut intimum, calidum, & vivificantem ſuccum mineralem extrahamus, & in optimum Medicamentum convertamus. Separatio autem hæc ipſa licet nondum ſatis mihi cognita & perſpecta ſit, non poſſum tamen intermittere, quin paucorum illorum, quæ mihi hac de re ſuboluerunt, proximum meum participem reddam. Alii rem accuratiore indagine perquirant, & plura aucupentur: Si Divina voluntas permiſerit, plura ſe offerent: Sin minus, Divinæ tamen benedictioni pro iis gratias agamus, quæ jam largâ manu nobis donavit.

XCII.

XCII. *De Magnetis sibi simile attrahentis admirandâ Naturâ.*

JUxta meum simplex, & exiguum judicium, Salis petræ ruber color, ab albo suo corpore, nullius alîus rei operatione, melius & commodius, segregari potest, quam alicujus magnetis, cognatione & similitudine ipsum attingentis.

Exemplo sit Aurum, & vulgare Argentum vivum, mutuo amoris vinculo, atque interna similitudine ita inter se combinata, ut alterum ad se alterum attrahat. Mercurium tractando, si fortè portio ejusdem aliqua in terram deciderit, se in mille ac mille atomos dispergens, nullâ ratione melius colligi poterit, quàm auxilio talis Magnetis, à quo particulæ dispersæ attrahuntur, ut sunt Metalla, & cumprimis Aurum, affinitate proximâ ipsi conjunctum. Latè igitur dispersum hunc Mercurium, cum terrâ, cæterisque sordibus, & quisquiliis, à quibus vix dignosci potest, penitus ipsis contectus, converro, atque sordibus his impono frustulum cupri, argenti, aut auri, quod per sordes probè volutatum, in infinitas particulas, & atomos dispersum Mercurium attrahit, atque ita ex quisquiliis istis extractum recuperat. Postquam Metallum autem satis Mercurii attraxit, & plus attrahere recusat,

linteolo Mercurius detrahendus eſt de Metallo, quod denuo per eaſdem ſordes, repetito labore, volutatum, reliquas particulas attrahit, atque ita laboribus toties repetitis, donec omnis extractus fuerit, ſine detrimento eundem tibi reddit.

Eodem ſanè modo etiam ex Salepetræ, intima, & per totum ejus corpus latè diſperſa anima extrahi poſſet, ſi modò talis Magnes nobis notus eſſet, qui cum Nitri Anima maximam affinitatem haberet.

Aliam, & evidentiorem appono ſimilitudinem, ut res tantò clarior & manifeſtior evadat, & eo facilius intelligi poſſit.

XCIII. *Perſpicua, & evidens demonſtratio aſſerens, etiam occultiſſimas res per Magnetes ſuos manifeſtari, & viſibiles reddi poſſe.*

ADmirabilis natura & proprietas vulgaris Magnetis probè conſideretur, quem natura duabus planè contrariis virtutibus, unâ nimirum attrahendi, alterâ expellendi donavit. Uno enim latere ferrum ad ſe trahit, & altero repellit, idque non ſolum efficit majoribus ſuis fruſtis, ſed etiam quando in minora fruſta comminutus eſt. Semper enim uno latere ferrum ad ſe trahit, & altero depellit, hac operatione utrumque Polum, Septentrionalem puta, & Meridionalem reſpiciens.

Hinc

Hinc par eſt, ut Philoſophus, Chymicus, & Medicus, rerum naturas & proprietates probè cognitas & perſpectas habeat, ſi quam operationem bonam inſtituere, & bonos effectus producere deſiderat, cum ſine hac cognitione neutiquam voti compos fieri poſſit. Etenim grande dedecus eſt, Philoſophi titulo gaudere velle, & nihilominus proprietatis rerum hoſpitem penitus & ignarum eſſe. Sed mundus vult decipi, internarum rerum planè rudis, & eorum ſolummodò rationem habens, quæ in externum aſpectum cadunt. Si aſinus leoninâ pelle indueretur, cæteris animalibus metum injiceret, eum leonem eſſe putaturis, idque ob externam tantum veſtem, licet nulla facinora leonis editurus eſſet, nec etiam poſſet. Prudens tamen homo eminentem aurium longitudinem mox animadverteret, ac proinde ipſum, ut cætera animalia irrationalia, non metueret.

Idem contingeret, ſi aſininâ pelle leo tegeretur; bruta animalia ipſum non reformidarent, ſed potius ludibrio haberent, utpote pro aſino ipſum habitura. Sed prudens homo ilicò ex tecti leonis actionibus & geſtibus agnoſceret, externam pellem leonis eſſe exuvias, & ſub iiſdem verum leonem deliteſcere.

Sic cum maximâ parte hominum etiam comparatum eſſe videmus, qui brutorum more,

externo rerum aſpectu acquieſcentes judicant,& internas rerum naturas, ac proprietates planè negligunt ac contemnunt. Hæc unica eſt cauſa, quod hactenus & in Medicinâ, & in Alchymiâ parum, aut nihil præſtitum ſit.

Ut autem ad propoſitum meum revertar, perſpicuis exemplis & operationibus demonſtrabo, quod intimæ & occultiſſimæ rerum naturæ & proprietates per attrahentes, & repellentes magnetes evidentiſſimè manifeſtari, & acquiri ſoleant. Cuncta enim, quæ ſunt, amicos ſuos habent & hoſtes, quod ſequente operatione probatur.

XCIV. *Operatio, rerum internas & occultas, atque proprietates, per attrahentes, aut depellentes Magnetes, manifeſtari, & acquiri poſſe affirmans.*

ALiquot lotones plumbi, Argento penitus carentis, Aquâ forti ſolve, plumbumque aquâ ſalſâ affuſâ petere fundum coge, quod aquâ dulci ablues, & exſiccabis. Calcis hujus plumbeæ ſume 3. aut 4. uncias, eique quintam Auri puri miſce, prius in puriſſimas & ſubtiliſſimas atomos redacti, eo modo, quem in aliis Scriptorum meorum locis docui: quæ calx ſi forſan in promptu tibi non eſſet, utere aliâ Auri calce, quovis modò parata; ſed prior calx tamen ad hanc operationem eſt aptiſſima. Utram-

tramque calcem, plumbeam scilicet, ac auream in crucibulo colliqua, ut plumbum in fusilem lapidem abeat. Auri autem calx multò quam anteà gravior hac operatione prodiens, alba erit, quæ albedo nihil aliud existit, quam purum, & probum argentum, per Sympathiam à Sole Saturno ereptum, & visibile redditum, quod anteà spirituale, & invisibile in plumbo latuit.

Hic aliquis quærere posset; Cum igitur tantum argenti in quovis plumbo occultum lateat, cur nulli reperiantur, qui illud eruant? Respondeo, plures quidem esse, qui magnas argenti massas ex plumbo eruerent, modò artem intelligerent, & effectus dare possent. At quia Metallorum naturas, & proprietates ignorant, nihil etiam præstare scientes, voti compotes reddi nequeunt. In hac autem extractione duplex causa innotescit, Sympathia nimirum, & Antipathia. Ob agnatam amicitiam Aurum ex plumbo sibi Argentum spirituale aggregat, & ob ingenitum odium, quod ipsi cum Sale intercedit, hunc ipsum à se repellit. Habet igitur Aurum, in extrahendo spirituali Argento ex plumbo, adjutorem, contraria operatione auxiliantem, atque efficientem, ut tantò plus Argenti eruatur, quia Sal plumbo adjunctus, ob ingenitam sibi inimicitiam, quâ ab Argento dissidet, hoc ipsum tanquam hostem suum à se arcet.

Ac quanquam ex tali cum Sale parato plumbo

semper

ſemper Argentum eliquari poteſt, etiam ſine ullius Auri additione, propter ſolam inimicitiam, quæ Argento cum Sale intercedit, & efficit ut illud ab hoc, tanquàm hoſte ſuo, ex plumbo exturbetur, tantum tamen Argenti non expromitur, ut reſpondeat dimidiæ parti illius, quod addito Auro evocatur.

Nam quando Aurum attrahit, & Sal expellit, duæ ſimul actiones fiunt, una per Sympathiam, & altera per Antipathiam, utraque ſcopum eum petens, ut occultum Argentum & Aurum ex plumbo extrahatur.

Duabus perſonis in protrahendo curriculo ita unanimiter conſentientibus, ut una præcedens illud protrahat, & altera ſubſequens idem protrudat, fieri non poteſt, quin promoveatur. Sic & in hac operatione Aurum attrahit, & Sal protrudit, utroque tamen ita operante, ut Saturno ſeni purum Argentum eripiatur.

Evaporentur in cupellâ plumbi duo centenarii parvi ponderis æqualis, ac uni centenario aliquot libræ puri Auri ad parvum pondus idem accommodatæ, Argenti quidem plus, Auri ope, ex iſto centenario prodibit, quàm ex altero, cui nullum Aurum additum erat: ſed operationis lucrum non erit magnum, aut etiam quidem nullum, atque ipſa operatio ſolum palàm faciet, fieri omnino poſſe, ut Aurum, cum plumbo cupellæ impoſitum, ali-

aliquid ex hoc ipſo Argenti eliciat, & gravius pondus acquirat, quem effectum ſola Sympathetica facultas producit. Si autem Sal Auro opem tulerit, duplicis operatoris duplex eſt operatio, dum in Argenti extractione ex plumbo Aurum attrahendo, & Sal extrudendo occupatur.

Neceſſariò mihi hæc ſunt patefacienda, quippe docentia, quo pacto rerum intimæ, occultiſſimæ, & puriſſimæ partes à craſſioribus ſejungi queant, ut alicui innoteſcant rerum ipſarum naturæ & proprietates, quo amore ſe invicem complectantur, aut quo odio inter ſe diffidant.

Ex hoc igitur experimento cuivis prudenti, & intelligenti facile eſt diſcere, & credere, quod etiam ex Salepetræ, aut alio corpore albo, rubra anima elici poſſit. Quicunque igitur ſuo propoſito Sympathiam, & Antipathiam adjutrices adſciſcere noverit, fruſtra nunquam laborabit, ſed quovis tempore ex laboribus ſuis fructum capiet.

Quemadmodum autem demonſtratum eſt, ex quovis plumbo, Auri ope, bonam Argenti partem extrahi poſſe, ſic etiam idem ex aliis Metallis fieri evidenter probatur, quod & ſine adjumento Auri efficietur. Nihilominus tamen fixius Metallum, fugaciorem & puriorem, cæterorum Metallorum impuriorum, partem, luben-

lubentius & promptius attrahit, quàm impurius Metallum; imò etiam longè promptius, quando Metallo illi, ex quo aliquid extrahendum eſt, anteà adjungitur hoſtis aliquis ejus rei, cujus extractioni opera datur.

Idcircò experimentum appoſitum velim, ne quis ut rem parvi momenti exiſtimet, ſed potius accuratâ mentis lance perpendat, ut magni momenti res, ejus probo examine, conſequatur.

Sicuti verò evidenti, & perſpicuo documento aſſertum eſt, tam per Sympathiam, quàm per Antipathiam, ex quovis plumbo fixum Argentum erui poſſe: Ita etiam facili negotio aſſeri poteſt, ex aliis quoque Metallis ſpirituale Aurum extrahi, partim per Antipathiam, partim per Sympathiam, atque facilius per Antipathiam & Sympathiam conjunctim, ita ut una materia ſibi id, quod amore complectitur, attrahat, & altera, quod odit repellat, id quod de plumbo jam probatum eſt. Si igitur hoc in Metallis fieri poteſt, quidni & in aliis ſubjectis idem præſtari non poſſet?

Eapropter ulterius progrediendo videbimus, num etiam fieri poſſit, ut occultus rubor, eodem modo per Sympathiam, & Antipathiam Salipetræ eripiatur.

Cum igitur ex hactenus dictis intellexerimus, quod

quod ſimile ſibi ſimile aſſociet, & à ſuo diſſimili repellatur, nihil aliud nobis reſtat, quàm ut ſciamus, quodnam ſit illud ſimile, à quo Salpetræ ſe extrahi patiatur.

Salispetræ ortum probè conſiderantibus nobis non ignotum eſt, quod ex animalium, ac cumprimis cornutarum pecudum, ut vaccarum, & ovium excrementis originem ſuam trahat. Ac quoniam oves & vaccæ nonniſi herbis & gramine, in campis naſcentibus, veſcuntur, eademque Vegetabilia ex Sale terreſtri, radiorum ſolarium adjumento, prodeunt, luce meridianâ clarius liquet, calidum Solem Salispetræ patrem, frigidam noctem matrem, terram nutricem, ac genitricem, & Salem cibum, nutrimentum, & augmentum ejus exiſtere, id quod ſecundum Macrocoſmum intelligatur oportet. Vegetabilia autem, ſive omnes frutices, herbæ, & quodvis gramen, quæ in Macrocoſmo ex terrâ naſcuntur, cum aliâ re nullâ commodius comparari poſſunt, quàm in Microcoſmo cum animalium, & hominum crinibus ac pilis, qui ex Microcoſmi terrâ, aut animali corpore naſcuntur, ſicut frutices & herbæ, atque gramen ex Macrocoſmicâ terrâ creſcendo emergunt. Hinc animalium capilli, pili, ungues, & cornua, avium item pennæ, & ungues, ut & piſcium dentes & ſquamæ omninò Salipetræ ſuâ ſimilitudine reſpondent, utpote ex quibus, juxtà cum aliis na-

turæ

turæ ſuperfluis excrementis, facili negotio verus, & bonus Salpetræ conficitur.

Ac veluti ad Vegetabilium in Macrocoſmo procreationem, atque incrementum, terra pinguis & ſalſa, calidus ſplendor ſolis, ac pluvia fertilis requiruntur, ut fructus omnis generis naſcantur, & maturentur; E contrario autem Salis, tanquam unici nutrimenti, radiorum Solis calidorum, ac pluviarum fertilitatem omnem promoventium penuriâ, pereat, & moriatur oportet, quicquid Vegetabili vitâ fruitur: Sic etiam in humano corpore quamdiu cor hominis proſperâ valetudine utitur, ac centralis Ignis, ſive Spiritus vitalis, & humidum Radicale non deficiunt, cuncta ſe benè habent, totumque corpus incrementum ſumit, & capilli copiosè creſcunt: Contrà verò, deficiente potu ac cibo, totum corpus detrimentum patiendo, conſumi, & contabeſcere incipit, ac capilli defluunt. Ut paucis dicam, cuncta incrementa, & augmenta, tam in Macrocoſmo, quàm Microcoſmo quieſcant, & ceſſent oportet, quamprimum ſolis calidi radii cum ipſo nutrimento ceſſare, & deficere incipiunt. Verum idcirco eſt, quod apud hominem, tanquam Microcoſmum, & cætera animalia, capilli comparandi ſunt cum arboribus, fruticibus, herbis & gramine Microcoſmi, eò quod magna ſimilitudine inter ſe conveniunt. Idpropter etiam capilli, pili & crines animalium, ut & ungues, ungulæ,

ungulæ, pennæ, ac squamæ ipsorum Salipetræ admodum similes sunt, adeò ut una pars alteri maximas vires, atque intimam animam, Sympathetico modo extrahat, atque ita una alteram manifestet: Exempli gratiâ.

Quando cutis, capilli, ungues, aut ungulæ hominis, aut animalis alicujus, ut & avium pennæ Nitri Spiritu illinuntur, aut unguntur, instar auri flavescunt, atque ita quasi aureum colorem induunt. Quæritur autem, unde color iste oriatur? num ex capillis ipsis, an verò ex Spiritu Nitri? Si ex capillis ipsis aureus iste color oriretur, necesse omninò foret, ut se quoque manifestaret, si crines aliis aquis acribus, & fortibus humectarentur, quod tamen nunquam fit, nisi quando Spiritu Nitri unguntur, aut etiam Aqua forti, quæ Spiritum Nitri continet. Apparet igitur ex his manifestè, quod Microcosmi superflua cum Macrocosmi superfluis, herbis nimirum, & gramine maximam affinitatem habeant. Hinc fit, ut una pars alteri parti optimas suas virtutes & vires subtrahat, & visibiles reddat, quæ anteà in crassis suis corporibus invisibiles, & impalpabiles latuerunt.

XCV. *Nitro Animam ſuam Auream extrahendi modus.*

SI proximæ viæ Nitro animam ſuam eripiendi inſiſtendum eſſet, craſſum Nitrum primò per diſtillationem mundandum, poſteà ex hoc purgato corpore, per commodum magnetem, puriſſima pars extrahenda, craſſæque feces removendæ, ac puriſſima hæc anima per concentrationem & fixationem ad ſummum perfectionis & dignitatis gradum deducenda eſſet.

Quamvis autem hoc in loco modum hunc extrahendi clarioribus verbis proponere poſſem, ob indignos tamen mihi illud facere non eſt integrum. Sufficit manuductio hæc, indicans, quo pacto illud fieri debeat, nimirum per magnetem aliquem, magneticâ operatione, ſibi ſimile attrahentem. Inſtar Auri flavam ejuſmodi Animam Nitri tempore quovis exhibere, & in proximi mei ægritudinibus, ad uſum adhibere poſſum. Sed de his ſatis multa, de quibus in ſequentibus Centuriis prolixiores erimus.

XCVI.

XCVI. *Quomodo humidus & frigidus Ignis Nitrosus, ad visibilem suam flammam reddendum, reducendus sit.*

ALiquot tui concentrati & humidi Ignis Nitrosi unciis in vitro aliquo sensim, & guttatim affunde lixivium ex lignorum cineribus acre, aut potius Nitrum fixatum, & affusionem tam diu continua, donec omnis strepitus, fumus, & ebullitio cesset, ipséque Ignis humidus omninò quiescat, & moriatur. Hoc facto, Igni isti omnis sua corrodens facultas dempta est, qui hac operatione ad priorem suam naturam rediit, in talem Salempetræ mutatus, qualis antè fuit, quàm in Ignem humidum converteretur. Ex hoc Salepetræ, per tot conversiones, & operationes, jam puriore & meliore reddito, iterum per distillationem, & concentrationem novus Ignis humidus est eliciendus, priore & longè melior, & multò fortior. Si verò secundus hic ignis humidus rursus lixivio Nitri fixati extinguitur, atque iterum in Salempetræ mutatur; hic autem novâ distillatione & concentratione in humidum Ignem convertitur, hic ipse ignis longè majoribus viribus pollebit; utpote quavis mortificatione, & vivificatione, uno gradu, fortior, nobilior, & efficacior evadens, sicut & ipse Salpetræ, per ejusmodi conversiones & reductiones, gradibus singulis

exaltatur, ac tandem eò deducitur, ut magis admiranda, quàm communis ſolet, efficere poſſit. Nam hujuſmodi Salispetræ, ad ſummum ſubtilitatis gradum perducti, libra una, communis Salispetræ libris pluribus, longè eſt efficacior & fortior, viribuſque multum præſtat. Sed non unicuique convenit ſcire, quid ſubtiliſſimo, & puriſſimo ejuſmodi Salepetræ effici queat.

Veteres Philoſophi communis Salispetræ præparationem & uſum occultaverunt. Cur & nos non occuleremus, ad ſummum ſubtilitatis gradum ejuſmodi Salempetræ exaltatum, cum quo communis minimè eſt conferendus, præcipuè in omnibus laboribus, ad quos hic communis adhiberi ſolet, multò promptius, & longè melius atque efficacius operante.

Ut veritas meridianâ luce clarior fiat, unam Metallicæ tranſmutationis operationem ſubjungam, ex quâ unicuique perſpicuum, atque manifeſtum erit, quid ſubtiliſſimus ejuſmodi Salpetræ efficere valeat.

XCVII.

XCVII. *Operatio ostendens modum, Salispetræ ad summum subtilitatis gradum promoti auxilio, Metallorum imperfectorum Sulphur superfluum comburens accendendi, & comburendi, sicut ignis communis lignum exurit, ut præter paucum Salem fixum, & cinerem, nihil omninò supersit: sicut & in Metallorum impurorum combustione hac, per purissimum nostrum Salempetræ, etiam nihil remanet, nisi Aurum illud, & Argentum fixum, quod in Metallo spiritualiter latuit, & cum scoriis combustibilibus relinquitur.*

EX quovis communi Salepetræ, & Sulphure pulverem pyrium confici posse, qui tamen illi bonitate non respondeat, qui ex purificato Salepetræ paratus est, nemo ignorat. Quò purior & subtilior Salpetræ fuerit, eò melior & fortior pulvis pyrius evadit. Idem de cæteris Salispetræ usibus intelligendum est.

Neminem quoque fugit, quod communis Salpetræ vulgaria Metalla exurendo in scorias redigat, & Aurum atque Argentum lavèt, & pura relinquat, de quâ igneâ lotione multa hactenus memoriæ prodidi. Quod autem communis Salpetræ puro, & hic purus purissimo melius & efficacius hanc lotionem expediat, longè à veritate est alienum, quod experientia illi manifestissimè aperiet, qui hujus rei periculum

culum est facturus. Parvus sanè ignis idem non præstabit, quod majori præstare licet, nec hic effectui dabit illud, quod maximus efficiet, quæ res adeò evidens est & manifesta, ut nemo reperiatur, qui eam negare ausit.

℞. Reguli Antimonii unam partem, & puri stanni quatuor partes, in crucibulo colliqua, & effunde, ut refrigescat. Hæc massa quodvis ferrum, & quemcumque chalybem fusilem reddit. Ferrum igitur aut chalybem fusurus, crucibulum uno aut altero Metallorum eorundem reple, furno venti impone, ac tamdiu in prunis relinque, donec omnis materia incandescat. Posteà, operculo remoto, dictæ massæ ex Regulo Antimonii & stanno commixtæ, dimidiam partem ejus ponderis, quod ferrum, aut chalybs crucibulo immissum habet, in idem crucibulum injice, operculumque impositum prunis contege, ignemque quantum potes, fortiter urge, ut massa injecta ferro aut chalybi fluxum conciliet. Cuncta probè liquata confestim effunde, ne stannum in fumum abiens ferrum liquatum relinquat, ad pristinam suam duritiem rediturum, & se effundi non passurum.

Hæc materia Regulo Antimonii, stanno & ferro aut chalybe constans, adeò dura est, ut allisus silex ignem ex eâ excutere possit.

Combustionis igitur supra dictæ periculum facturus, forte aliquod crucibulum ex terrâ figu-

linâ factum, & Salepetræ impletum, prunis impone, ut Salpetræ liquefcat, porrò bacilli ex ftanno & ferro effufione priore formati extremitatem, igne ita candefactam, ut non liquefcat, alteram extremitatem forcipe tenens, Salipetræ fufo immitte, ut ferrum cum ftanno & Regulo Antimonii inftar ligni accendatur, & cum flammâ in fumum abeat. Nam omne ferè ftannum & ferrum funt merum Sulphur, & per flammam confumpta, nihil nifi fcorias in crucibulo relinquunt, quæ aquâ ablutæ, & in cupellâ plumbo coctæ & disjectæ, verum Aurum & Argentum, utroque Metallo occultata, reliqua faciunt.

Quando enim Salispetræ adeò puri flammâ impurum ferri & ftanni Sulphur exuritur, necessarium eft, ut remaneat, quicquid in Metallis boni fuerit.

Non ideò autem hanc operationem hîc appono, ut eadem alicui aureos montes pollicear. Minimè gentium. Etenim in eum finem duntaxat hos, & fimiles labores manifefto, ut cuivis innotefcat, quod ad puritatem requifitam deductus Salpetræ, imperfecta Metalla, inftar ligni exurere foleat, & exinde facili negotio colligi queat, ejufmodi Salempetræ purum vulgari, viribus fuis, multum antecellere. Similes verò labores imperfecta Metalla per Salempetræ debito modo purificatum, comburentes, & cum utilitate purum Aurum & Argentum

acquirentes, Centuria ſequens, Deo volente, docebit.

Quemadmodum enim Prima hæc Centuria maximam partem de Igne & Sale agit; Ita ſequentis potiſſima pars tractabit de purificati Salispetræ admirabili & magnâ efficaciâ in deſtruendis, & cum magnâ emendatione, & non exiguo lucro reducendis Metallis. Ac licet utiles ejuſmodi emendationes Metallorum, huic Primæ Centuriæ inſerendi cupidus fuerim, non tamen illud facere mihi integrum fuit, præcipuè cum adhuc multa alia, utilem concentratorum Spirituum Salis uſum concernentia, hic mihi prætereunda fuerint, ob completos jam hujus ipſius Centuriæ numeros, qui me in ſequentes Centurias illa rejicere poſtularunt.

Quandoquidem in hac Centuriâ etiam crebra mentio facta eſt, de vitris & crucibulis, quibus in humidorum Ignium apparatu, & uſu nemo carere poteſt, ob multa pericula & damna, quibus vulgaria inſtrumenta, quæ ſæpe frangi ſolent, aut etiam ebullientes materias facilè effundunt, omninò par fuiſſet, ut hîc etiam manifeſtarem meam pulchram inventionem, cuncta ejuſmodi incommoda præcaventem, cujus in Miraculi Mundi Secundâ Parte memini.

Quia verò ibidem utramque illam inventionem pauperibus dono dedi, iniquum planè eſſet, iiſdem ſua eripere, in quos adhuc plura æquiori jure conferenda eſſent. In hoc igitur caſu ulterius

ulterius progredi non valenti, hoc unicum restat, ut affirmem duntaxat, quod duabus tam excellentibus inventionibus nec Medicina, nec Alchymia carere possit. Si quis tamen earum compos fieri desideret, literas dare poterit ad duos istos viros, quibus easdem tradidi, ut pro pauperibus colligant, quicquid easdem cognoscendi cupidus aliquis erogaverit, repulsam non laturus, sed compos voti futurus, & Secretum consequuturus ab iis, quorum nomina hæc sunt, & quibus facilius erit illius cupidos participes reddere, quod hîc omissis tamen materiis describam.

XCVIII. *Modus vitra in distillatione, & digestione imponendi, & conservandi, ut materia ebulliens non effundatur.*

℞.

Hac materiâ vitra tua muni, ut impositæ materiæ non effluant, & earum jacturam non facias.

XCIX. *Modus ejusmodi crucibula parandi, quæ Metalla fusa diu conservent, ut nec rumpi, nec liquari queant.*

℞.

Has materias misce, ac communi aquâ madefac, ut in massam convertantur, ex quâ per crucibulorum formam, parva & magna crucibula formabis, gravi malleo ipsa in receptaculum impingendo, secundum modum, quem in Quintâ Furnorum meorum Parte descripsi. Crucibula extrude ex formâ, & siccanda aëri expone, quæ siccata ad usum idonea sunt, nec coctione aliquâ in furno figulino indigent. Rectè tractata diu in prunis stare possunt, nec rimis dehiscunt, neque etiam in vehementissimo igne liquantur.

C. *Infallibilis Demonstratio, quod in Sale, & Igne cuncta occulta lateant, vel quod Solis & Salis ope cuncta generentur, oriantur, crescant, & augeant.*

Siquidem hujus Opusculi principio Circulum cum imposito quadrante depictum, & his verbis, in Sole & Sale omnia, inscriptum præmisi, cujus imaginis & inscriptionis veritas ex tot operationibus in hac Centuriâ descriptis, satis

ſatis ſuperque liquet; Operæ precium mihi viſum fuit, in fine hujus tractatus verâ & evidenti demonſtratione aſſerere, quod omnia à Sole & Sale, tanquam præcipuis, & nobiliſſimis creaturis Dei, procreentur, conſerventur, & augeantur, eo tamen ſenſu, ſi adſunt rerum ſemina, quæ multiplicationem poſtulant.

Licet enim Sol & Sal longè adhuc excellentiora & nobiliora ſubjecta eſſent, quàm nunç exiſtunt, attamen ne herbulam quidem aut vermiculum, ut de homine nihil dicam, producere & generare ſine ſemine poſſunt. Semen ſi habemus, illud per Solem & Salem propagare à Deo nobis conceſſum eſt. Semen ipſum procreare ſibi ſoli Deus reſervavit. Semen igitur nobis ſufficit, quod, ſi habemus, per Solis efficaciam, & Salis, univerſalis illius omnium rerum nutrimenti, vires in infinitum propagare & augere poſſumus.

Ruſticorum univerſale Medicamentum, & nutrimentum, quo ad conſervationem ſuarum vinearum, agrorum & paſcuorum utuntur, eſt fimus pecudum & pecorum, ex quo ad vitium & arborum radices admoto, & in agros, ac paſcua projecto, vegetabilia nutrimentum ſibi neceſſarium attrahunt, creſcunt, & ad hominum & beſtiarum nutritionem & ſuſtentationem neceſſarios fructus proferunt.

Quia

Quia verò nutrimentum hoc, à cunctis Vegetabilibus ex bestiarum fimo extractum, nihil aliud est, quam Sal urinosus, & nos Artis beneficio, ex vulgari Sale talem Salem urinosum, loco fimi, in stercorandis & pinguefaciendis agris, adhibendum conficere novimus, fimo illo carere profectò possumus, tali Sale instructi, qui per Ignem Alcalisatus multò latius se extendit, & longè diutius bestiarum fimo in terrâ durat, nutrit & stercorat. Omnibus autem frugibus & fructibus, longè suaviorem saporem & odorem conciliat, quàm ipse fimus; cujus rei veritatem experietur, qui ejus periculum fecerit. Imò, quod longè majoris est momenti, talium Salium ope frugibus, ac cumprimis arborum fructibus, ac uvis fragrantissimus odor conciliari potest, si loco fimi tales sales agris, & hortis adhibentur, & aromata, aliæque fragrantis odoris res Salibus iisdem misceantur, & radicibus Vegetabilium addantur. Exemplo res fiet clarior.

Agri alicujus partem sterilem, eo quod fimo destituitur, vel etiam terram penitus arenosam, aratro inverte, eidemque dicti Salis quantum sufficit, insperge, ipsique terræ arando misce, & frumentum cujuscunque generis insere, quod ex falsâ terrâ, vel arenâ enascetur, augebitur, & centuplo semine laborem sibi adhibitum compensabit, perinde, imò melius, quàm si fimus vulgaris ad stercorationem istam adhibitus fu-

issèt.

iſſet. Unde autem illa creſcendi facultas, incrementique & multiplicationis vis oritur, niſi ex unico Sale, quo agrum tuum ſterilem conſeviſti? Nam ex ſterili arenâ, & aquâ pluviâ ſolâ creſcendi, & incrementa ſumendi nutrimentum, & alimentum ſibi adſciſcere ſemen nequit, id quod verum eſſe facili negotio comperies, ſi duas ligneas arcas arenâ vulgari compleveris, & alterutrius arenæ, 1. 2. aut 3. inverſi illius Salis libras miſcueris (prout vel major vel minor arca illa lignea fuerit.) atque alterius arcæ arenam ſolam reliqueris. Si jam utrique arenæ ſemina diverſa mandaveris, & aquâ pluviâ, expoſitas aëri, rigaveris, ex utraque quidem ſemina iſta creſcendo prodibunt, & incrementa ſument, ſed ex illâ quæ ſale conſperſa eſt, longè plenius, & perfectius, adeò ut creſcendo pergentia, ad perfectam maturitatem perventura ſint, cum tamen alterius arcæ ſemina ſenſim ſint peritura & moritura.

Hinc evidenter patet, creſcendi, & incrementa ſumendi facultatem, in omnibus rebus, ab unico Sale proficiſci. Si igitur piſa, fabæ, avena, hordeum, ſiligo, triticum, vinum, & omnis generis fructus, Salis beneficio, creſcunt, & augentur, neceſſariò ſequitur, quod Sal ſubjectum ſit, & nutrimentum univerſale. Si hæc vervecino tuo ingenio capere nequis, vervex & fatuus maneto cum tuo Farnero, & I.H.S. qui ſtatuunt,

tuunt, fimum ipſum pinguefacere, & Salem prorſus ad eam rem inutilem eſſe, quod non ſolum omnibus meis Scriptis veriſſimis, ex Diametro repugnat, ſed etiam penitus eſt contrarium veriſſimis verbis Chriſti dicentis Luc. 14. v. 34. & Marci 9. verſ. 50. Bonus eſt Sal; ſi verò Sal infatuatus fuerit, quonam ipſum condietis? & Luc. 18. v. 19. diſcipulos ſuos ita alloquentis; Vos eſtis Sal terræ, quod idem eſt ac ſi diceret: Satis à me conditi eſtis Sale; in mundum jam abite, & millecuplos fructus proferte; vel per totum mundum ſpargite & augete ac multiplicate ea, quæ vobis dedi. Quàm turpiter ſe dabunt Hoſtes mei, qui mea ſcripta non reipsâ refellunt, aut errorum convincunt, ſed ex merâ tantum invidiâ contemnunt, & ludibrio habent. Quâ ratione autem ipſius Chriſti, qui eſt æterna veritas, verba, quibus ſuos diſcipulos alloquutus eſt, refutare poterunt? Pudeat vos cum mendaciorum Patre Satanâ, cum quo quàm turpiter vos daturi eritis in noviſſimo judicio coram Tribunali Divino, in quo ipſa Veritas, & Juſtitia ſedebit, vivos & mortuos judicatura. Veritas hæc conſiſtet immota, quam Sole ipſo clariorem, Diaboli ipſi nunquam evertent, nimirum; Omnem naſcendi, creſcendi, & augmenta ſumendi facultatem, ex Sale ortum ſuum trahere.

Ut autem intelligi poſſit, quomodo vulgaris Sal, qui aliàs omnem creſcendi facultatem illis rebus

rebus, quibus miſcetur corrumpere, & extinguere ſolet, invertendus ſit, ut, noxiâ ſuâ corroſione depoſitâ, Alcalium, aut Urinoſorum Salium naturam induat, tectè hîc appono modum operationis, ut ita hoſtibus obſcurus maneat, & amicis ſolis communicetur.

℞. Salis Communis, &c.

probè unà condefac igne, quo facto, Sal acrimoniâ ſuâ orbatus Urinoſam proprietatem acquirit, & debitâ quantitate, fimi vaccini loco, ſterilibus agris adhibitus facit, ut ſemina ipſis commiſſa multiplices fructus proferant. Stercoratio tamen hæc crebriores requirit pluvias, quàm ea quæ fimo fit, melior ideò & commodior in paludoſis locis, ac cum fimo vaccino, ſi fieri poteſt, Salem dictum conjungente, optatiſſimos effectus producens. Cumprimis autem Sal dictus ad vites, & arbores fructiferas longe eſt aptior, quàm fimus, utpote uvis, pomis, pyris, ac ſimilibus fructibus arborum longè meliorem largiens ſaporem, quàm fimus largiri ſolet. Accedit & hoc vitibus commodum, quod eodem ſale conſperſæ, per viginti ſæpè annos ſatis nutrimenti habeant, & copioſiſſimos fructus quotannis ferant, cum fimi nutrimentum vix 5. aut 6. annis ſufficiat. Præterea Sal ille longè facilius & etiam minoribus ſumptibus in altiores montes portari, & deferri poteſt, quàm fimus, cujus longè major copia requiritur, quam

Salis

Salis dicti, qui latius fimo se diffundit, & diutius durat. Hoc ipso tempore verno præterito, quibusdam semimortuis vitibus, quæ ex macilentâ arenâ vix ad digiti longitudinem enasci potuerant, Salem ejusmodi inversum admovi, quæ confestim virescere incipientes, tantâ vi nascendo emerserunt, ut de die in diem tantum augmentum animadverti potuerit. Cum itaque quodã die nonnullis amicis in Laboratorio meo emendationem Metallorum, quæ Salis vulgaris ope fieri potest, ostenderem, ipsis rem admirantibus, ante Laboratorium vites illas, ex semimortuis suis stipitibus enatas monstravi, qui nonnullas propagines vitium metientes, easdem duobus, aut sesquitribus mensibus, 6. 7. 10. ac 11. pedum longitudinem crescendo acquisivisse, ac stipitibus suis ex quibus prognatæ erant, bis aut ter crassiores fuisse compererunt. Quæ mutatio, aut transmutatio grandis, in vitibus à Sale profecta, plus admirationis, & utilitatis haberet, quàm illa Metallorum, si eam auri cupidis oculis non aspiceremus, nec auri sacrâ fame laborantibus animis judicaremus. Ac quoniam hæc transmutatio mense Julio est observata, vitibusque ipsis ad enascendum, & incrementa sumenda ferè adhuc tres menses restabant, facili negotio quivis conjicere poterit, quantum incrementi, vitium ligna, unius æstatis spacio, sumere queant.

Sed hæc sufficiant de inversione Salis commu-

nis;

nis, ad facultatem crescendi in rebus omnibus promovendam utilissima, quæ in fine hujus Opusculi indicanda mihi fuit, ut ea demonstrarem, quæ ab initio asserui, quod scilicet in Sale cuncta occulta jaceant, & per rerum semina, Solisque adjumento visibilia, palpabilia, ac essentialia reddantur.

Iisdem Opusculum meum claudens, toties iteratam petitionem repeto, & unumquemque rogo, ut hæc boni æquique consulat, & quæstionum plurium propositione, literarumque scriptione mihi negotium facessere desinat: Secreta enim nonnulla mihi peculiariter reservavi, nonnullis amicis solummodò revelanda. Ex his autem, quæ in hoc Opusculum, ut & cætera mea scripta conjecta sunt, ea in usum suum adhibere quis poterit, quæ intelligit; quæ supra captum suum esse animadvertet, aliis intelligenda relinquet, & pro se non scripta esse cogitabit. Mihi hac vice placuit nonnulla Arcana duntaxat attingere, & unicuique tamen non patefacere. Idem aliis quoque placeat, ideoque mihi molestiam non exhibeant, quod amicè ipsos rogatos volo.

In malam quoque partem rogo ne quis interpretetur, si alicubi nonnulla ita clarè & perspicuè non traduntur, prout quidem desiderari possent. Eam ob causam me excuset velim, præcipuè cum hanc Primam Centuriam admodum festinanter, & quidem aliis gravioribus laboribus oneratus, congesserim, quam aliàs meliore &

aptiore ordine in lucem edidissem. Cumprimum autem demonstratione trium Capitalium Secretorum, quæ in V. Parte Prosperitatis Germaniæ Magnatibus promisi, promissioni meæ satisfecero, ac hybernum tempus laboribus me supersedere jusserit, non intermittam proximo vere, si mihi Deus vitam prorogaverit, plures Centurias in lucem emittere, atque ita Scriptorum meorum seriem complere, quod propositum meum Deus benedictione suâ fortunet.

A M E N.

Admo-

Admonitio ad Benevolum Lectorem, ſive nemini præſcribens Propoſitio, quâ oſtenditur, quantum emolumenti, ex meâ non ſumptuoſâ Auri & Argenti, ex fugacibus Mineris, Extractione, communis Patria conſequi poſſit.

NUllum mihi dubium eſt, quin ignorantiæ Fratres, hoſtes mei, merâ invidiâ impulſi, hoc Opuſculum meum, ſicuti hactenus præcedentia mea Scripta tractaverunt, ſummo odio proſequuturi, & nefando ludibrio habituri ſint, præcipuè hanc ob cauſam, quia non expreſsè, & perſpicuè in omnibus locis cuncta tradidi, ut quivis eadem percipere rectè poſſit. Ideò nullo præjudicio occupatis hìc ſignifico, idem de induſtriâ me feciſſe, præcipuè ob hanc cauſam, ut potiſſima nobiliſſimæ artis Alchymiæ fundamenta indigniſſimos calumniatores, ac veritatis hoſtes celentur, & ſolis Amicis reſerventur.

Firmiter quidem mihi propoſueram hoc Opuſculum imprimendo non divulgare, ſed nonnullis deſcribendum dare, ut ſoli veri Amatores Artis ejuſdem participes reddi poſſent.

Quia verò mihi deſcriptores boni defuerunt, Typographo imprimendum dedi, omiſſis tamen hinc inde nonnullis vocibus, ne cuncta

inter hostes divulgentur, sed majoris momenti arcana apud amicos, in quorum gratiam hoc Opusculum conscripsimus, maneant. Nam multa majora, & excellentiora Secreta, quàm quidem externâ specie præ se fert, tectè passim revelat. Ac si nihil aliud eodem detexissem, quam solum illum modum ex pauperibus mineris, quæ fusionis sumptus compensare nequeunt, per aquas non sumptuosas, copiosum Aurum, Argentum & Cuprum, cum emolumento extrahendi, Patriam tamen communem hoc ipso solo Arcano haud exiguo beneficio affecissem, quoniam ferè per totam Germaniam passim consimiles pauperes mineræ inveniuntur, quæ Aurum, Argentum, ac Cuprum quidem continent, sed communi igne fusionis sibi, eadem Metalla, cum emolumento, eripi neutiquam patiuntur. Inter has Mineras primum locum obtinent, quæ fugax Aurum & Argentum comprehendentes, eadem, igne fusionis vehementis per fumum abacta, amittunt, quæ tamen à meis Aquis attrahentibus, conservantur, figuntur, & permanentia redduntur: Adeò ut etiam ex fugacissimis mineris, & venis Metallicis, bonum Aurum & Argentum, haud sine utilitate extrahi queant. Annon igitur maximum commodum communi Patriæ talia opera allatura essent, si pluribus in locis instituerentur?

Commodum tam ingens in Prosperitatis Germaniæ V. Parte jam prolixè indicavi, & idem con-

consequendi modum nonnullis in meo Laboratorio apertè monstravi, qui illum cognoscendi desiderio tenebantur: Imò demonstrando aliis veritatem illius adhuc occupatus sum, ut Patriæ communi, ante vitæ meæ finem, fidelibus meritis inserviendo nunquam cessem. Fateor tamen, ejusmodi laboribus haud parum molestiæ senectuti meæ exhiberi, ideo firmiter statuenti, nonnisi hanc æstatem tam laboriosis demonstrationibus impendere, subsequens vero tempus quietâ vitâ transigere, & junioribus ac robustioribus Ignis & Salis curam committere. Laboribus ejusmodi, quantum in me situm fuit, defunctus sum; idem alii faciant, ut majora in lucem producant. Equidem nunquam tædio affectus sum, nullisque unquam sumptibus peperci, ut hocce biennio, in Patriæ gratiam, Laboratorium meum conservarem, quibus laboribus, sumptibusque hac æstate finem imponere in animum induxi, illudque indicare unicuique in præsentiâ volui.

Interim tamen, quamdiu mihi Divina voluntas vitam prorogaverit, singulis dimidiis annis aliquot mearum Centuriarum promissarum in lucem emittam, omnia mea Scripta hactenus edita illustraturas, & ad umbilicum deducturas, ut unicuique, si saltem manum admoverit, copiosam ex iis utilitatem haurire integrum futurum sit.

Quò autem communi Patriæ, in multis locis, Inventa mea prodesse queant, operæ precium duxi, de iisdem meditationes meas breviter indicare, ac indicium facere modi, quo illud quàm commodissimè fieri posse arbitrer.

Primò satis superque notum esse arbitror, Principes ac Magnates longè aliis oneribus & negotiis districtos esse, quàm ut hinc inde in regionibus sibi subjectis fodinarum Metallicarum inquisitione & curâ occupentur. Has autem curas si ministris suis committere deberent, conviviis potius hos ipsos, quam minerarum & venarum in sylvis & montibus, investigatione laboriosâ, tempus transmissuros esse. Ipsi autem subditi, talium Artium omninò rudes & ignari, quo pacto, & quo eventu ejusmodi labores suscepturi essent, in proclivi est alicui conjicere. Hæ causæ sunt, cur tanti momenti res sine utilitate abeat, & planè negligatur. Meo autem judicio quantumvis exiguo, Princeps aliquis, cui obedientiâ debitâ plures subditi obnoxii sunt, quotannis magnum Auri & Argenti thesaurum collecturus esset, & quidem sine sumptibus, si Laboratorium duntaxat exiguum constitueret, in quo pauperes Mineræ aquis debitis extraherentur, concessâ tamen subditis, quicunque ad talium Artium cognitionem anhelarent, facultate, Laboratorium tale frequentandi, & ibidem tales artes addiscendi, adjunctâ hac conditione, ut unusquisque Extractionis

dictæ

dictæ auxilio, Aurum, Argentum, & Cuprum, ex pauperibus mineris excocta, in officinam Monetariam afferret, pro precio tali, quo ubique æstimantur, & extra regionem non exportaret. Hac ratione non modo summus Magistratus, sine ullo sumptu & labore, ex monetâ emolumentum haud exiguum consequeretur, verum etiam unusquisque talibus mineris pauperibus inquirendis summam operam daret, ut Aurum, Argentum, aliaque Metalla ex pauperibus illis venis Metallicis nancisceretur, ac sibi suisque lucrum pareret.

Si autem Princeps, aut Magistratus aliquis, talis operis sibi soli reservati exercitium, subditis suis permittere nollet, unusquisque facili negotio animadvertere potest, haud quemquam talium minerarum investigationi operam daturum, sed potius eas absconditurum esse, præcipuè si Magistratus, ut fieri quandoque solet, subditos suos ad labores ejusmodi coacturus esset.

Hæc juxta meam simplicem, & nemini quid præscribentem sententiam, proxima esset via, sine ullius hominis detrimento, sed multorum hominum salute & adjumento, reddendi Patriæ nostræ aureas & argenteas monetas, quibus extranei ipsam orbarunt. Sed nullâ ratione futurum esset, nisi Magistratus ipsi tali opere instituendo initium facerent, invitaturi, & incitaturi hac ratione subditos ad suscipiendos ejusmodi labores, toti Patriæ ingentes Thesauros comparaturos.

raturos. Hoc modo plurimis in locis officinæ monetariæ divites institui possent, loco illarum, quæ hodierno tempore tam parcè, monetas haud parum cupri admixtum habentes, subministrant.

Hæc pauca, in gratiam salutis Patriæ communis, admonere volui, simplicem duntaxat opinionem meam detegendo, & nemini aliquem ordinem præscribendo, eâ spe fretus, à nemine, cujuscunque ordinis & conditionis etiam fuerit, aliter ac æqui bonique consultum iri.

Secundò quisque ex Principibus & Magnatibus communem suorum pauperum salutem maximè promoveret, si publicè monstrandam curaret rationem Salis communis, unius horulæ candefactione, invertendi, & eò deducendi, ut fimi vaccini loco, ad macrarum vinearum, hortorum minus fertilium, & cæterorum agrorum in ferendis frugibus segniorum, pinguefactionem, & emendationem adhiberi queat. Magna enim ex hac ipsâ Arte, aut scientiâ in Regionem aliquam utilitas redundatura esset. Nam passim multæ vineæ, & multi agri ob vaccini fimi inopiam, culturâ debitâ carent, alioqui magnâ tam subditos, quàm Magistratus utilitate & fructu ingente affecturi, si hoc modo pinguefieri, & fertiles reddi possent. Adde quod omnia vina copiosiore proventu proditura, longè suaviorem & gratiorem saporem tali medio consequutura sint,

ſint, quàm ſi vaccino fimo vineæ & agri ſtercorantur. Sed de hac re plura vide in continuatione Miraculi Mundi.

Ne quis eò audaciæ progrediatur, ut boni quid, cujus rudis planè & ignarus eſt, ludibrio & contemptui habeat; ſed potius rem ipſam, ante periculum faciendo, perſcrutetur, quàm ejus judicium immaturius ſuſcipiat. Quicquid verò in hac Primâ Centuriâ, feſtinante calamo, ob laborioſas, in meo Laboratorio, demonſtrationes factas, ac temporis defectum ſcriptâ, nimis breviter, & minus perſpicuè traditum eſt, illud in ſequuturis Centuriis declarabitur, & magis perſpicuum reddetur, quas Lector Benevolus patienter expectabit.

Tandem colophonis loco hoc monendum cenſui, obnixè rogando, nequis ſuſpicetur, quod nuperis illis, à falſo illo Sendivogii Filio ſparſis, calumniis reſpondere, & me ipſum defendere neſciam, quandoquidem hactenus factum non eſt, licet idem in V. Parte Proſperitatis Patriæ pollicitus ſim. Jam enim à me Reſponſio eſt elaborata, quæ hujus Centuriæ fini, appendicis loco, acceſſiſſet, niſi bonorum Amicorum ſuaſu, ob certas cauſas, hac vice omiſſa fuiſſet. Sufficit etiam, quod mea Scripta ſatis apertè loquentia, & ſibi ipſis patrocinantia, nullo alio patrocinio egeant. Sutor ille mendaciorum Scripta mea modò

laudibus in cœlum attollit, modò viliſſimis contumeliis deſpicit, modò rurſus de meliore notâ commendat, atque iterum cothurno quovis inſtabilior, penitus reprobat. Neutiquam igitur dignus eſt, ut antè refutetur, quàm inconſtantiam ſuam turpiſſimam in ordinem redigat. Scribant omnes Artis oſores & hoſtes, quicquid voluerint, aut quicquid in buccam ipſis venerit, nihil profectò aliud conſequentur, quàm ut hoſtile ſuum odium, quo artem & veritatem proſequuntur, prodant, & ſtimulum calcibus feriant. Veriſſima enim Scripta mea pro ſeipſis verba faciunt, & propria defenſione ſe tuentur: Nec tanti etiam facio calumniatores iſtos nauci, cum quibus digladiatione verborum inutili congrediar, & temporis precioſi jacturam faciam.

Mendacium illud, quo alter calumniatorum illorum famam meam bonam inquinare conatus eſt, quod videlicet ex magnorum Principum aulis multum pecuniæ conquiſiverim, & nihil tamen præſtiterim eorum, quæ pro tanta pecunia præſtare pollicitus ſim, nullo unquam tempore probabit, cum contrarium ſingulis horis ego admodum evidenter probare poſſim. Sed verborum nihil efficientium velitatione mihi hac vice ſuperſedendum, aliaque media quærenda erunt, quæ non ſolum verbis nudis, ſed etiam reipsâ tam nefarii calumniatoris nequiſſima mendacia refellant. Nam ſi unicuique nebuloni liberum eſſet, fictis calumniis, & mendaciis nefariis, cujuſ-

cujusque viri honesti famam, pro lubitu lædere, ac posteà in angulum aliquem se abdere, ut à nemine reperiri queat, nemo sane vir honestus nominis sui famam tueri posset, qui tamen Christiani nomen gerere non mereretur, si tam impiorum facinorum patiens, tantorum nebulonum malitiam impunem dimitteret. Sed patientia brevis & tranquilla innocentes expedire solet, Deo media subministrante, quibus veritas in apertum producitur, & mendacia opprimuntur.

Altera Admonitio brevior.

NEmini ignota sunt Arcana, quæ antehac, in Quintâ Parte Prosperitatis Germaniæ, Principibus ac Magnatibus revelare pollicitus sum, & quod ejus rei causâ nullis sumptibus, nullisque laboribus pepercerim, dum commodum Laboratorium construendum curavi, in quo omnibus iis, qui tantarum rerum cupidi fuerunt, tria illa Secreta promissa à me publicè monstrata & demonstrata fuerunt. Quoniam autem nonnuli perversi homines merita mea, ex fideli & sincero animo profecta, non debitâ mercede, sed damnis compensarunt; ansam arripui in posterum ejusmodi demonstrationum laboribus supersedendi, & tempus meum, in celebrando Dei honore, & proximi mei

Ne autem probi homines penitus luant ea, quæ à malis commissa sunt, Deo dante in animum induxi, hac hyeme in chartam conjicere, non solum ea, quæ in Patriæ gratiam & emolumentum, hactenus à me, in Laboratorio meo, demonstrata sunt, sed etiam ea arcana, quæ majoris momenti, emolumentum maximum, toti generi humano, conferre possunt, ut ita, in universi Globi terreni locis omnibus, cuncti mortales, hisce temporibus ultimis, eorum participes fieri, & iisdem frui possint. Interim amicè & obnixè rogo, ut nemo mihi negotium facessat, ob retentam & servatam penes me Clavem nonnullorum hujus Opusculi locorum obscuriorum, quæ suo tempore clara & perspicua in lucem edentur. Firmiter enim statui, & mihi proposui hactenus, nulli ignoto quicquam amplius communicare; sed omnes meas excellentes inventiones, & inauditi hactenus emolumenti Secreta, malis juxta cum bonis patefacere, his ansam præbiturus, ut in bonitate suâ constanter perseverent, in illorum verò capitibus, si ad frugem se non receperint, prunas collecturus, atque ita toti Mundo patefacturus, quanta merita (absit tamen jactantia verbis) in communem Patriam contulerim. Aliàs totam hanc hyemem proximam ejusmodi Demonstrationibus impendissem, ut Patriæ commodis servirem, nisi tam turpiter à malis hominibus deceptus fuissem, quod omninò manifestare debui,

ac

ac volui, ne quis causarum, à quibus ad meam sententiam impulsus sum, ignarus esset. Tandem, sicut jam sæpius feci, iterum atteftor, quod tria illa, in Prosperitate Patriæ, promissa Arcana, ubicunque ligna, Sal, & Metalla se offerunt, summo emolumento exerceri possint: Cujus rei veritatem, proximis temporibus, evidentissimè monstrabo, & demonstrabo, si vitam Deus mihi prorogaverit.

F I N I S.